



J. M. Meile L. S. 1711
25. 1711

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.
11.
12.
13.
14.
15.
16.
17.
18.
19.
20.
21.
22.
23.
24.
25.
26.
27.
28.
29.
30.



1. Sam: Strykii de Jure xvi & xvii h. v.
2. Joh: Joach: Schoeyfferi de alimentis et dote filiarum nobilium.
3. Ernest: Fried: Schroederi de alienatione in mortuo contra subreptum.
4. Joh: Andr: Roderi de prohibita rerum ecclesiasticarum alienatione.
5. Georg: Adam: Struoch autodictor von der Dalhoffen.
6. Joh: Fried: Rhetii de Autoritate Juris Canonici inter Augustanae confes-
nis consortes.
7. Joh: Francisci Bornii de Bannis nuptialibus.
8. Joh: Georg: Simonis de Censatione.
9. N. Aldarici Hempsi de Civitatibus Hanseaticis.
10. Joh: Bernh: Frisii de Colore Censuum.
11. Sam: Strykii de Collatione succedentium.
12. Joach: Hoppii de Compensatione fructuum cum interestis.
13. Sam: Strykii de Concensu sponsaliorum.
14. Christoph: Phil: Richteri de desertione litis civilis.
15. Petri Mülleride dignitate effugiata.
16. Joh: Georg: Simonis de Doctoribus Bullatis.
17. Christoph: Phil: Richteri Richteri de Exceptionibus.
18. Petri Mülleride Executione impossibilitatis ex afflictione orta.
19. Joh: Phil: Nevoogti de Executione in bona Feudalia.
20. Joh: Theodori Hinnebrechtii de Felonia.
21. Petri Schulten de Feodo o Gratia.
22. Henrici Balthasaris Rothii Jura Fideiussoris.
23. Joh: Georg: Simonis de oculata fide.
24. Sam: Strykii de Fortis Germania singularibus.
25. Mattia: Stemi Forum Patrie.
26. Sam: Strykii de Immunitate à servitiis feudalibus.
27. Joh: Sibthardi de Intercessione mulieris pro marito.
28. Petri Schulten de Insuperbia abusiva.
29. Joh: Georg: Simonis de Justitia hominis circa sua membra.
30. Sam: Christoph: Wessmi de Astum Meletricum.
31. Joh: Georg: Simonis de obligatione quae ex dominio oritur.

32. Sam: Strypii. De suspensione ab officio .
 33. J. L. de M. de Gallis.
 34. Joach. Deckeri de non numerata pecunia.
 35. Petri Schulpen de Donatione principis.
 36. Joh: Joach: Schoepferi de Jure Principis circa Adespotas.
 37. D. Burchardi Bardoli de Retentione ejusq: in Jure effectibq:
 38. Petri Mulleri de Revisione sententiarum in Jure effectibq:
 39. Sam: Strypii de Salute publicae Jurium extinctio.
 40. Christiani Schroeteri Sobriam Juris Criticam.
 41. Petri Mulleri de Jure Solide.
 42. Sam: Strypii de Successione Praetoria horum inum necessaria.
 43. Joili Hieron: Brunnari de Apertura testamentorum.
 44. Henrici Coccyi de Clausulis testamentorum.
 45. Christ: Thomasi de primis initiis successioneis testamen-
 tario apud Romanos.
 46. Sam: Strypii de Testamento in finem confecto.
 47. Christ: Wildvogeli de Testamento Legati.
 48. Sini: Christophori Asini de Examine testium ad
 perpetuam rei memoria.
 49. Christiani Wildvogeli de Testibq: non rogatis.
 50. Eiusdem de ultima voluntate testatoris non servanda.
 51. Joh: Christoph: Donat: de Virginitate Jure.
 52. Joh: Joach: Schoepferi de Jure Virginitatis privilegii.
 53. Sam: Strypii de non usu Juris quassati.
 54. Henrici Balthasaris Roth: de Usu Fructu.

DISSERTATIO JURIDICA
DE
EXCEPTIONIBUS,

Quam
Divinâ favente Clementiâ
Ex permissu Magnificæ Facultatis Juridicæ,
in illustri Salanâ,

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Magnifici, Nobilissimi atque Consultissimi

DNI CHRISTOPHORI PHI-
LIPPI RICHTERI, Jcti Celeberrimi, Com. Pal.
Cæs. Eminentissimi, Cod. P. P. celebratissimi, Consilarii Saxonici
Gravissimi, Dicasterii Provincialis & Scabinatus Assessoris dignis-
simi, Facultatis Juridicæ Senioris Spectatissimi,

Dni Præceptoris, Hospitis & Promo-
toris æternum devenerandi,

Publicæ eruditorum disquisitioni submittit

THEODOSIUS Schöpffer Sanders-
lebiâ - Anhaltinus,

Autor,

Die Januarii



J E N Æ,

TYPIS SAMUELIS KREBSI.

ANNO M DC LVII.

17.



*Serenissimis atq; Celsissimis Principibus
ac Dominis,*

D^{no}. JOHANNI CASIMIRO,
D^{no}. FRIDERICO,
D^{no}. JOHANNI,
D^{no}. LEBRECHT,
D^{no}. IMMANUELI,
D^{no}. VICTORI AMEDÆO,

Principibus de Anhalt, Co-
mitibus Alcaniæ, Servestæ & Bern-
burgi Dynastis &c.

Dominis meis Clementissimis


Hanc qualem qualem disputationem in
humillimæ devotionis Symbolum

D. D. D.

Seren. V. V. Celsitud.

Subjectissimus

Autor & Respondens.



LEges in adolescentia, dum genua vi-
rent, addisci debent, earumque studium per
totum vitæ tempus continuandum, teste
Schneidw. ad §. sed non usq. Inst. de legat. n. ii. id-
que tum, quod amplitudo & prolixitas studii
Juris propè immensa postulet, ut ocyus incipi-
amus, tum quòd memoria, de cujus infirmitate testatur *l. 44. de
acquir. Possess. verb. nec infirmitatem memoria*, quæ in juventute
maximè viget, semperque cum ætate decrescit juxta illud
Horatii: Singula de nobis anni prædantur eundo,
hoc maximè suadeat *Rittershus. in proæm. Inst.* Sed queritur; quâ
via? Non sanè aliâ, nisi crebrâ legum lectione, earundemque
assiduâ inquisitione tum privatâ tum publicâ, ut tandem ex
errorum tricis depulsisque nebulis ad veritatis lucem perve-
niamus. Hoc observans, cum mihi materiam exceptionum
legenti unum vel alterum dubium suboriretur, collegi ea-
dem, deque iisdem informationem hinc inde quæsi; sed ad-
hucusque hæsitavit animus, adeò ut me confirmandi gratiâ
rem publicæ disquisitioni submittere, præcipuè suasu & horta-
tu illorum, quorum per omnem vitam multum valuit, vale-
bitque ætatè autoritas, compulsus decreverim; spe fretus
certâ, ut, si quâ impegero, juventuti adhuc teneræ ignoscant
omnes, memores illiq dicti Justiniani, in nullo peccare divini-
tatis magis, quàm mortalitatis est *l. 2. §. 14. C. de Vet. Jur. enucl.*
Quoniam verò omnia malè, quæ posthabito Deo ter Opt. Max.
suscipiuntur, procedunt; benè econtrâ universa geruntur &
competenter, si rei principium fiat decens & amabile Deo.
Nov. 6. proæm. l. 2. C. de Offic. præf. prætor. Afric. inque ejus no-
mine agatur. *c. non observetis. 27. q. 1. c. non liceat. 26. q. 5.* & cum
Christo fundamentum ponatur. *c. cum Paulus. 1. q. 1.* Te Jova-

trinune, humillimis precibus invoco, ut quâ divina gratia antehac me profecutus, in præfenti mihi adesse velis, ut cœptum benè ordiar, continuem & finiam.

SECTIO I.

De DEFINITIONE.

NE tamen sine ordine procedamus, quales dicuntur equum frenare per caudam. *Wilhelm. Anton. Freundenberg. in proœm. de rescript. morat. n. 30.* brevibus proponamus dicenda. Nempe 1. De definitione. 2. De divisione Exceptionum in genere. 3. De dilatoriis. 4. De Peremptoriis. 5. De modo proponendi exceptiones. 6. De fine & effectu agemus. §. 2. Quid sit exceptio, nos docet *l. 2. l. 22. ff. h. t.* nempe est exclusio, quæ opponi actioni ejusque rei solet, ad excludendum id, quod in intentionem condemnationemve deductum. *Wesemb. n. 3. h. t.*

§. 3. In quâ notandum venit 1. Definitum. 2. Definitio ipsa, si eandem Analyticô ordine resolvere velimus. In definito itidem Etymologia, Synonymia, & homonymia. Primum de *Etym.* Derivatur autem vel ab excipiendo, quæ vel idem, quod eximere seu demere è numero vel regula. *D. D. Rebban. hodeget. Juris chart. 2. clim. 4. par. all. 3. n. 35.* Hinc regula propter exceptionem suum officium perdere, id est, locum non habere, aut vim & potestatem suam amittere dicitur. *l. 1. de R. I. ibiq. Bronchorst.* Vel idem, quod avertere & repellere, metaphorâ desumptâ à militibus. Sicut enim hi suorum hostium tela depellendo ac submovendo, seseque contra illa defendendo excipere dicuntur: ita quoque in forensi hoc bello reus intentionem actoris excipere dicitur, eam depellendo & contra eandem sese defendendo. *Hunnus ad Trentl. vol. 2. disp. 26. t. bes. l. q. 1.* Synonyma sunt præscriptio. *l. 11. ibiq. Gothofr. lit. M. l. 23.*

l. 23. de except. l. 91. de solut. l. 29. pr. de except. rei jud. l. 2. C. de precib. Imperat. offer. l. 13. de procurat. Quamvis enim propriè illa exceptio, quæ ob lapsum temporis competit, dicatur præscriptio. *l. pen. & ult. C. de præscript. longi temp.* tamen promiscuè etiam poni præscriptionem & exceptionem, testis est *Wesemb. n. 4. b. præjudicium, rubr. & l. 12. h. t. actio l. 1. l. 12. b. l. 19. pr. de probat. conditio l. 22. b. defensio l. 5. allegatio pr. & §. 2. de replicat.* *Homonymiam* quod concernit, sumitur exceptio in jure vel propriè, vel impropriè. Propriè vel generaliter, vel specialiter. Generaliter pro defensione quacunque, quâ actoris intentio vel ipso jure, vel ope exceptionis eliditur. Specialiter sumitur vel latè, vel strictè. Latè quatenus replicationes etiam dicuntur exceptiones *l. 2. §. 1. l. 22. §. 1. b.* Strictè, quod opponitur actioni cujusque rei ad excludendum jus actoris *l. 2. l. 23. b.* Impropriè dicitur exceptio, quæ nec actionem nec exceptionem excludit, sed tantum judicem aut procuratorem remove-re intendit. *Rebhan d. l. n. 35.*

§. 4. Definitio ipsa constat genere & differentia. Generis loco ponitur exclusio. Differentia desumitur 1. à forma, quæ consistit in oppositione factâ actioni. 2. à fine, qui est excludere intentionem actoris *vel perpetuo vel ad certum saltem tempus.* Et ita nobiscum definit *Tabor partit. Element. part. 4. sect. 2. thes. 18. Vallensis Parat. Decretal. n. 2. de Except. Termin. c. 202. n. 1. Rebhan. d. l.* Quanquam quibus hæc Ulpiani definitio haut placeat, sint quam plurimi, *Schneidw. n. 2. l. b. Joachim. Schultz. vol. 3. notab. 17. Ummius disp. ad process. 8. thes. 1.* qui ita definit: Exceptio est jus, quod vel ex personis judicium constituentibus vel ex ipsa causa controversâ desumptum judicium de summo jure suscipiendum sive ad tempus sive in totum excludit. Nos putamus omninò Ulpiani definitionem retineri posse. *Nec obst.* quod dissentientes opponunt contra *d. l. 2.* Exceptionem potius jus esse excludendi, & sic ad exem-

plum actionis *pr. I. de action.* etiam per jus definiendam. *R.* Utrumque subsistere posse, modo distinguatur inter exclusionem actualem & potestativam cum *Nobilissimo D. D. Habn. Parat. Wesemb. n. 3. b. t.* Vel inter exceptionem consideratam in actu primo, & inter exceptionem consideratam in actu secundo. Illo modo est jus excludendi, quo in iudicio uti licet: Hoc est ipsa exclusio, quo eam definivit Ulpianus, prout *Nobiliss. & Consultiss. D. D. Struve Fautor & Praceptor meus omni honoris & observantiae cultu perpetim prosequendus, in praelectionibus privatis ad Wesembecii Paratitla tradidit.* Vel 3. dist. inter exceptionem consideratam vel ut proponendam, & est jus excludendi id quod ab actore intenditur, vel ut propositam in iudicio, & tunc rectè dicitur exclusio. *Ampliss. D. D. Schröter Praceptor meus itidem de venerandus, in not. ad Sutholt. dissert. 19. th. 27.* Nec 2. obst. quod dicant, ipsam esse nimis angustam, cum non complectatur in se exceptiones dilatorias. *R.* omnino & hæ comprehenduntur sub vocabulis, *exclusio. 2. ad excludendam intentionem.* Exclusio enim illa *vel* fit ad tempus & dicitur dilatoria, *vel* in perpetuum, & vocatur Peremptoria. *Nobilissimus D. D. Habn d. l.*


§. 5. Antequam à definitione abeamus, breviter attingamus quæstionem, an scil. Exceptiones sint Juris Gentium an Juris Civilis? Posterius affirmat *Hunnus ad Treutl. vol. 2. disp. 26. thes. 1. lit. A. q. 3. Ummius disp. d. th. 2. n. 6. Coler. ad rubr. de except. n. 7. Nobilissimus D. D. Riemer de Except. th. 2. lit. A.* Sed contra *Treutl. d. disp. 26. th. 1. ibiq. Bachov. Nobilissimus D. D. Habn ad Wesemb. n. 1. b. t.* negant, statuentes exceptionem esse Juris Gentium, à quorum partibus & nos stabimus. 1. Nam defensio est Juris Gentium *l. 3. de J. & J.* At exceptio etiam dicitur defensio. *l. 5. de except. l. 10. C. eod.* Ergò. 2. Cujus juris est actio, ejusdem est exceptio. At Juris Gentium est actio. *Bachov. ad Treutl. disp. 1. th. 4. lit. D.* idque declarat *D. D. Habn ad n. 14. Wesemb. de Obl. & Act.*

Act. per distinctionem, num quæstio sit de actionibus consideratis *absolutè*, ratione originis & formæ essentialis, & sunt J. G. An *relatè* ad Remp. Rom. & sunt Juris Civilis, & insimul ita respondet ad obstantem. *l. 2. §. deinde 6. de O. J. Nec obstat. l. 17. §. 3. Commod.* ubi actiones vocantur Civiles. *Rz.* apud *Bach. d. l.* Ergo & exceptio erit Juris Gentium. *Nec obst.* quod exceptio formam habeat à Jure Civili; forma autem det esse rei. *l. 9. §. 3. ad exhibend.* *Rz.* Regula est intelligenda de formâ essentiali non accidentali. Illa est ex Jure Gentium, hæc ex Jure Civili. *Nobilissimus D. D. Thoma de nox. animal. c. 1. n. 10.*

SECTIO II.

De

DIVISIONIBUS EXCEPTIONUM IN GENERE.

 Vanquam infinitus ferè sit exceptionum numerus. *Coler. de Except. ad rubr. n. 10.* adeò ut unam eandemque generalem divisionem respuant, tamen tentabim9, an non possimus easdem dispertiri *I. à causa efficiente* in Civiles & prætorias §. 7. *Inst. b. t.* Illæ sunt, quæ vel à Jure Civili strictè sumto, id est, ex ipsis legibus XII. tabl. (ut præscriptio fori *l. ult. C. b.*) vel ex SCTis (ut exceptio SCTi Macedoniani *t. t. ff. §. C. de SCTo Maced. & Vellejani rubr. §. t. t. de SCTo Vellej.*) Vel principum constitutionibus (ut exceptio divisionis §. 4. *de fidejuss. auth. hoc ita C. de duob. reis l. ult. C. de constit. pecun. Nov. 99. c. 1.* non numeratæ pecuniæ *t. t. C. de non numer. pecun.*) quæ legis vicem obtinent, descendunt *d. §. 7.* Hæ verò, quæ ex Prætoris Jurisdictione substantiam capiunt. Earundem enim autor est prætor ad instar actionum prætoriarum. §. 3. *de action. motus æquitate naturali. pr. de Except. l. 7. de in integr. restit.* quales sunt exceptio doli mali, ne sc. cui dolus suus contra naturalem æquitatem profit *l. 1. §. 1. de dol. mal. §. met. exc.* Exceptio quod metus causa *l. 1. quod met. causa. Exceptio erroris, l. 7. de dol. mal. except. §. 2.*

§. 2. II. à fine in personales & reales l. 7. pr. b. Illæ sunt, quæ personæ cohærent, vel quæ intuitu conditionis personam respicientis, ut indigentia, reverentia & pietatis datur. *Zoesius de Except. n. 21.* qualis est Exceptio cessionis §. ult. de replicat. Exceptio competentia in id, quod quis facere potest, quam habet socius, Patronus, Patrona, liberi, parentes l. 7. b. l. 16. 17. & seq. de re judic. Maritus l. 12. solut. matrim. heres ejus & fidejussor non æquè, non obstante l. 14. solut. matr. & l. 23. de re judic. ex quibus ita quis posset argumentari. Quæcunque exceptio etiam aliis datur, illa non est personalis. d. l. 7. l. 13. solut. matr. quæ enim personalia, personam non transeunt. l. idem. 25. §. 1. de pact. sed cum persona extingvuntur l. 3. §. ult. de censib. hinc & Ususfructus cum persona usufructuarii extingvitur l. 3. §. ult. quib. mod. Ususfr. amit. Sed exceptio competentia etiam aliis datur. d. l. 14. & l. 23. Ergo. R. enim ad Majorem limitando: Q. exceptio etiam aliis suo nomine agentibus datur, illa non est personalis. Jam negatur minor, quæ ex alleg. tt. non probatur. Agunt enim de defensore, qui sui principalis nomine agit, non de fidejussore. Sed videtur in defensore & fidejussore eadem esse ratio. Ubi hæc, ibi & idem jus statuendum arg. l. 108. de V. O. l. 32. pr. ad L. Aquil. l. 12. de legib. R. neg. h. l. eandem subesse rationem: Fidejussor enim ex propria stipulatione condemnatur l. 12. C. de fidejuss. Defensor autem nomine alieno. *Zoesius h. l. n. 22.* Et hæc quidem, quod exceptiones personales non dentur fidejussoribus & heredibus, ita regulariter obtinent, exceptionem tamen admittunt in SCto Vellejano l. 16. §. 1. ad SCtm Vellej. & in SCto Macedoniano l. 7. §. 1. ad SCtum Maced. quæ licet sint exceptiones personales, tamen etiam dantur fidejussoribus. *Nobiliss. D. D. Riemer de except. th. 2. lit. B.*

§. 3. Reales autem sunt, quæ rei seu causæ cohærent, & dantur tam reo principali, quam heredi ejusve fidejussori l. 7. §. 1. b. ut exceptio rei judicata, doli mali, jurisjurandi, quod me-

tus

tus causâ. Hinc facillè licebit respondere ad dubium, quod circa hanc rem posset moveri *ex l. omnes 19, b. t.* Si omnes exceptiones, quæ reo competunt, dantur etiam fidejussori, sequitur, quòd non tantùm reales, sed & personales ei dentur. Sed prius est verum *ex d. l. 19.* Nam qui dicit omne, nihil excludit. *l. cum quidam 27. §. in tacito 2. de Usur. l. 68. ibiq. Gothofred. de legat. 3.* Resp. verbum generale prolatum à lege, esse intelligendum secundum dispositionem Juris alibi positam: Sicut aliàs dicit solet, jura juribus esse concordanda. *l. un. C. de inoff. dot. Schneid. ad §. de constituta. 9. J. de action. n. 40. l. 1. §. 2. junct. §. 10. Si quadrup. paup. fec.* Est ergò *l. 19.* intelligenda secundum *l. 7.* ex eâque generalitas restringenda.

§. 4. III. *Ab effectu* in dilatorias, & peremptorias. §. 8. 9. 10. *Inst. b.* Illæ, aliàs temporales dictæ. *l. 3. b.* quæ ad tempus nocent actori. Hæ, quæ & elisivæ, *arg. l. 2. §. 5. de dol. mal. except. l. 17. de eviction. Rebban chart. 2. clim. 4. parall. 3. n. 38.* & perpetuæ, *d. l. 3.* vocantur, quæ semper obstant actori. Et cum hæc exceptionum divisio, in usu forensi sit celeberrima, juxta *Rittersb. ad §. 8. J. b.* Summa, ac principalis. *Coler. de except. ad rubr. n. 10.* fusiùs in sequentibus erit proponenda & interpolanda.

SECTIO III.

De

EXCEPTIONIBUS DILATORIIS.

§. I. **J**am quod attinet dilatorias, de quib9 in hæc sectione agere nobis proposuim9, sunt eæ itidem duplicis generis, *vel* de processu, *vel* de actione institutâ. Hæ concernunt *vel* actionis merita, *vel* ejusdem proponendæ modum. Illæ respiciunt, *tum* personam Judicis, *tum* litigantium. Si personam judicis, declinant *vel* in totum ejusdem sententiam, *vel* non in totum, sed tantùm differunt. Personę litigantes sunt *vel* principales

B

vel

vel accessoria: contra utrasvis justæ dantur exceptiones. *Barchov. ad Inst. §. ult. b. Sutholt. dissert. 19. tb. 30. seq. Rebban d. l. n. 40. Ammius disput. 8. tb. 2.*

§. 2. Primum agamus de exceptionibus, quæ sunt de processu, & quidem I. quæ sumuntur à persona Judicis; & vel in totum recusatur, vel non. Illud fit, si Rei excipiunt de ejusdem inhabilitate, quod non possit esse judex, vel simpliciter & absolutè, ut si prohibitus aut naturà, aut lege, aut moribus. *l. 12. §. 2. de judic.* Vel secundum quid, si allegatur, vel ipsum in hac causâ vel quoad hanc personam, judicem esse non posse, idque itidè vel ob incompetentiam, vel ob præventionem, vel ob suspicionem.

§. 3. Ob incompetentiam, quia Reus forte privilegium habet, 1. ratione causæ, ut, si illa I. *Spiritualis & Ecclesiastica*, ob quam quis coram judice seculari conveniretur, justè excipit contra eundem. Spirituales enim causæ & Ecclesiasticæ, coram Judice Ecclesiastico sunt expediendæ. *c. 3. de judic.* & hodiè in Judiciis Cōsistorialibus. *Nobiliss. Dn. D. Habn. ad n. 16. We-semb. de indic.* Sunt autem causæ Ecclesiasticæ, Matrimoniales, *Nobiliss. & Consultiss. Dn. D. Struve, in exercit. 9. tb. 55.* Si de juramenti observatione & absoluteione agatur, *vid. Ummius disput. ad Process. 4. tb. 13. n. 69.* ubi septem causas Spirituales esse ostendit. 2. Si causa *feudalis*: De hac enim Dominus feudi & pares curiæ cognoscunt. *2. feud. 55. §. ult.*

§. 4. II. *Ratione personarum conditionis*, ut 1. Clerici, qui itidem coram Judice Ecclesiastico conveniendi. *c. 1. & c. 12. de for. compet.* 2. Professores & Studiosi, qui coram Rectore suo *Auth. habita C. ne filius pro patre.* in tantum, ut ne quidem studiosus, alterius Magistratus Jurisdictionem agnoscendo & prorogando, se eidem subicere possit, teste *Magnifico, Nobilissimo & Consultissimo Domino Præside, hospite, fautore & promotore etatè colendo, in d. auth. habitâ p. 156.* 3. Milites, qui coram
Magi-

Magistro militum. *l. 9. de custod. & exhib. reor. l. 3. de re milit. l. 6. C. de Jurisd. omn. Jud. 4. Officiales principis. l. ult. C. ubi Senat. & Clariss. ibiq. Perez. n. 4.* ubi sub finem hæc habentur verba: Servamus hoc ipsum in personis Aulicis & de domo Principis, ut si in alieno territorio deliquerint, non fortiantur alium præter aulæ judicem, aut consilium privatum judicis. Idemque in Senatoribus, ut ne quidem si consenserint, possint alibi conveniri, quàm apud suum consilium, vel eum, cui princeps cognitionem committat. Atque hoc exemptionis privilegium tributum Illustribus, Aulicis, & Senatoribus, etiam ad eorum uxores, viduam & familiam extenditur. *l. 22. §. 1. ad Municip. Dn. D. Habn ad Wesemb. d. l. Berl. p. 1. concl. 2. n. ult.*

§. 4. Ob præventionem, quando quis ad Judicem vocatur super causâ, quæ jam coram alio pendet. Ubi enim acceptum judicium, ibi & finiri debet. *l. 30. de judic.* Ut autem Jurisdictio præventa dicatur, requiritur 1. ut Reus legitimè sit citatus. *Carpzov. p. 1. const. 7. def. 21. n. 1. Mascard. de probat. vol. 3. concl. 1233. n. 6. seq.* 2. Ut reus unius ejusdemque rei gratiâ plures habeat judices, qui vel omnes sint æquales, vel, si alter superior, hic inferiori cõcesserit Jurisdictionem cumulativè, non privativè. *Zanger. de except. p. 2. c. 3. n. 5.* 3. Ut reus hac exceptione uti volens, in quo judicio agere cœptum, non sit contumax, aliàs agentem hac exceptione non repellat. *l. 134. §. 1. de R. J. Zanger. d. l. n. 18. Ummius d. disp. 8. th. 2. n. 8.* Huic penè similis est exceptio Ordinis, incompetentiæ, quâ declinamus cognitionem superioris judicis, causâ apud inferiorem non discussâ. Neque enim statim supremum adire judicem licet. *l. 21. de Appellat.* sed demum per appellationem ad ipsum pervenitur. *Ummius d. l. Dn. D. Riemer de except. th. 3. lit. B.*

§. 5. Ob suspicionem tandem reculari potest judex. *l. apertissimi. C. de judic. c. 4. & c. 10. de for. competent.* Periculosum enim est, coram suspecto judice litigare. *c. cum inter priorem. 5.*

de except. maximè cum, ut vulgò dici solet, plus valeat favor in iudice, quàm lex in Codice. Variæ autem causæ sunt, propter quas quis ut suspectus potest removeri; Et 28. recensentur ab *Ummio disput. 1. tb. 9. n. 54.* Nos cum *Rittershus. Nov. p. 9. c. 6. n. 8.* ad duas classes reducimus, nempe ob amicitiam actoris, & inimicitiam rei. Illa oritur, vel ex affectione ad personam, vel ex affectione ad causam. Personæ ratione, quòd sit agnata. *l. 10. ff. de. Jurisdic.* ratione causæ, quod ex eadem lucrum aliquod speret. *l. 17. de judic. l. un. C. ne quis in suâ causa. l. ult. §. 2. verb. Sciant autem ipsi nec de se, nec de suis facultatibus iudicatuos aliquid. C. ubi Senator. & Clariss.* Ob hanc itidem quin justè possit recusari, nullum planè est dubium; quid enim gratius & amabilius dare quis inimico possit, quàm si ei ad impetendū commiserit, quem lædere voluerit. *c. 15. caus. 3. q. 5. l. 9. verb. fortè si eum iudicem inimicum sibi esse affirmet. ff. de liberal. causa. c. accedens 4. Ut lit. non contest. c. postremo. de appellat. Vallens. Paratitl. Decret. n. 6. de Except.* Nec jam traditis obstat *l. 77. de judic. & l. 13. §. ult. ad Sctm Trebell.* Resp. dist. inter Magistratum, & iudicem datum. Magistratus potest esse etiam filius, & patrem cogere. *d. l. 13. §. ult.* sed non iudex: de illo *d. l. 77. & c.* intelligenda. Sed videtur Magistratus & iudex unum idemq; designare. Resp. quod non. Est enim plus esse Magistratum, minus esse iudicem. Ille enim habet Jurisdictionem, hic nullam. Ita hosce textus conciliant *Ritterbus. d. l. n. 79. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 12. tb. 7. Lit. F. Magnus, Nobilissimus & Consultissimus Dn. D. Ungepaur. exerc. 16. q. 4. in nego.* Sed h. l. non incongruè quæritur, cum de delegato non dubitetur; An etiam Ordinarius iudex possit recusari? Affirm. *c. cum Speciali. 61. de Appellat.* idque de Jure Canon. concedunt *Zanger. p. 2. c. 4. n. 9. Rittersh. p. 9. c. 6. n. 78. Vallensis n. 8. de Except.* Sed negant de Jure Civili. Econtra & de hoc affirmant *Coler. ad c. olim. n. 31. de Except. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 12. tb. 11. lit. H.*

Ummius

Ummius disp. 1. th. 9. n. 52. quibus & nos adstipulabimur, propter
l. 9. de liberal. causa. junct. l. 2. C. de pedan. judic. ex quibus ita ar-
gumentamur: Quicumque de liberali causa cognoscit, pot-
est recusari, ut suspectus. *d. l. 9.* Judex Ordinarius tantum de li-
berali causa cognoscit. *l. 2.* Erg. judex Ordinarius potest recu-
sari, ut suspectus. 2. *ex l. 16. C. de judic.* Omnes lites sine suspici-
one procedere debent. Erg. & lis mota coram Judice Or-
dinario: Ubi enim est eadem ratio, ibi idem jus statuendum.
l. à Titio. 108. de V. O. & in terminis textus est perspicuus in l. un.
verb. fin. C. si quacunq; prae datus potest. Nec *obst. d. l. 16.* quod tan-
tum loquatur de delegato. Resp. cum *Ummio d. l.* Justinia-
num ad propositam consultationem respondisse, idemque
dictum iri de Ordinario, propter adjectam legi rationem.
Neque *obst. Nov. 86. c. 2. & Auth. si v. contigerit. C. de judic.* ubi
dicitur, quod, si judex sit suspectus, non removeri, sed eidem
Archiepiscopus adjungi debeat. Resp. quod *d. N.* Consili-
um potius, quam necessitas & praeceptum proponatur, adeoq;
sensus sit: Qui judicem suspectum habet, potest, vel eundem
recusare, vel Archiepiscopum eidem associare, idque adhuc
clarius habetur in *auth. offeratur. C. de litis contestat. Nov. 53. c. 3.*
§. 1. verb. ut si ve repudiare voluerit, si ve etiam cum eo alium judi-
cem petere, licentiam habeat hoc facere. Et hoc moribus etiam
obtinere hodiernis, ut tam judex Ordinarius, quam delegatus
possit, ut suspectus, recusari. *Zanger d. l. n. 14.*

§. 6. Haec de exceptionibus, ob quas judex in to-
tum à sententia in causâ principali repellitur; jam se-
quuntur, quæ ipsius sententiam tantum differunt, quales tres
constituimus. 1. Sit Exceptio loci non tuti, 2. termini vel tem-
poris nimis angusti, 3. Feriarum.

§. 7. Exceptione loci non tuti utitur Reus, quando, vel
sibi de vi, vel de contagio metuit, ad hoc, ut iudices ipsi assi-
gnent locum idoneum & securum. *c. ex parte 47. De Appellat.*

ctem. pastoralis. §. notorium. seq. de sentent. & re judic. Termin.
Proceß. c. 203. n. 10. & propterea etiam locus iudicii cuius ci-
tationi est inferendus. Citatus enim ad locum non tutum
comparere non tenetur. Ayres Proceß. p. 1. c. 3. obs. 2. n. 38. Dicitur
autem locus non tutus, quando citatus, cum quibusdam in
loco, in quem se conferre debet, graves inimicitias gerita.
cum R. Canonicus. 35. de Offic. & potest. deleg. 2. quando in loco,
in quo citatus comparere debet, pestis grassetur. Timor enim
pestis maximè considerandus est, & ab omnibus fugiendus,
propter contagionis periculum. arg. c. negotiatorem. 88. di-
stinct. Hinc pestis liberat citatum à comparitione. Mascard.
de probat. vol. 1. concl. 20. n. 7. Ayres d. l. n. 47. ubi insimul addit
limitationem, hancce sc. exceptionem non obtinere, si locus
citato, ex suo facto, ut, ratione commisi delicti sit inimicus.
Aliàs enim quilibet delinquens à comparendo sese excusare
posset. l. 12. de dolo mal.

§. 8. Exceptio termini angusti tunc rectè opponi potest, quando iudex nimis brevem terminum præfixit Reo ad respondendum. Tunc n. reus secum deliberare non potest, utrum cedere, an contendere velit. *l. 1. de edend.* Terminus etenim de Jure Civili plerumque debet in se continere 30 dies. *auth. qui semel. C. quomodo & quando Jud. sent. profer. deb. Nov. 112. c. 3.* De Jure verò Saxon. 6. Septimanas & tres dies. Quando minus spatium continet, non obligat ad parendum. *Vant. tract. de nullit. tit. ex defectu citat. n. 67. Zanger p. 2. c. 6. Arnold Reyger. disp. de proceß. 4. tb. 21.*

§. 9. Restat Exceptio Feriarum, quando quis citatus est ad diem feriatum, vel illud tempus, quo forēsibus negotiis, & juri dicendo vacare solent, & sui potestatem facere non consueverunt Iudices. *l. pridie. & t. t. de feriis.* Nec interest, an feriæ illæ sint solennes atque ordinariæ, an extraordinariæ. Et illæ, an sint sacræ seu divini cultus causâ institutæ, an honorariæ

rarię seu in honorem principis, an necessariae, messis & vindemiarum gratiã sancitã. *l. 4. b. t. Wesemb. Parat. n. 4. b. Zanger. p. 2. c. 7. n. 5. seq.* Sed h. l. duo dubia erunt discutienda. I. An non hisce feriis renunciari possit à partibus? Videtur quod sic. Quilibet enim potest juri pro se introducto renunciare. *l. pen. C. de pact. l. 41. de minor. l. 46. de pact.* Rectius tamen distinguitur *inter* ferias cultui divino dicatas, & *inter* necessarias vindemiarum & messium causa inductas. Illis non potest renunciari. *arg. l. 7. C. de fer.* Sed his potest. *D. D. Habn ad n. 8. Parat. Wesemb. b.* II. An feriã etiam profint iis, qui in frugibus colligendis non sunt occupati, adeo ut & hi possint exceptionem Feriarum opponere? R. quod sic, cum *Wesemb. n. 7. ibiq. D. D. Habn b. Bachov. & Hunnio ad Treutl. disp. 5. th. 9. lit. D. Zangero d. l. n. 12. Ummio disp. 7. th. 10. n. ult. Carpz. p. 1. c. 3. def. 22. n. 6.* Edictum enim prætoris est generale, quod ita habet: Ne quis adversarium tempore messis vel vindemiarum in jus vocet. *l. 1. pr. b. Nec obst. d. l. 1. verba final. quia occupati circa rem rusticam, in forum compellendi non sunt.* Argumentum à contrario posset esse tale: Quicumque circa rem rusticam non sunt occupati, in jus vocari possunt tempore messis. Cessante enim causã cessat effectus. *c. cum cessante 60. de appellat.* Athic vel ille non est occupatus circa rem rusticam. Ergo. R. 1. modus argumentandi à contrario sensu non procedit, quãdo inde resultat intellectus juri cõtrarius, teste *Eberhard. in Top. loc. à contrar. sens. n. 6.* 2. d. verba l. non sunt intelligenda de causã finali, sed de causã impulsivã, quã juxta Dd. tradita cessante, non statim cessat dispositio, *arg. §. 31. de legat. l. 17. §. 2. de condit. & demonstrat. l. 2. C. de falsã causã adi. leg. 3.* Licet ipsi rei forsitan non sint occupati, tamen forsitan, quorum indigent ope & auxilio, veluti advocati, testes. *Bachov. d. l.*

§. 10. Jam sequuntur exceptiones, desumptæ ex partibus litigantibus. Sunt hæ, prout suprã jam dictum, vel principales

pales, *vel* accessoria. Principales sunt, actor & reus. Ex personâ actoris oriuntur 1. Exceptio contumaciâ, 2. Exceptio cautionis, 3. Exceptio legitimationis.

§. 11. Exceptio contumaciâ est, quando actor in termino citationis non comparet, sed contumax emanet, & tunc reus de ipsius contumaciâ excipere potest ac petere, ut non tantum terminus pro circumducto habeatur, & ita Reus à citatione vel instantiâ absolvatur, sed & actor ad viatica litisque sumtus reddendos, reo condemnetur. *l. 79. de judic. Wurmser. in prax. tit. de contumac. & ad judic. non venient. obs. 1. Zanger. p. 2. c. 9. n. 1.*

§. 12. Exceptio cautionis (prout eam vocat *Ummius d. 7. tb. 3.*) vel satisfationis, quâ Reus ante datam responsionem, ad actionem prolatam, cogere potest actorem, ut in casum succumbentiâ, de refundendis expensis & de reconventione caveat. *Nov. 112. c. 2.* Hinc & vocatur cautio pro reconventionem & expensis, *Carpzov. p. 1. c. 5. d. 1. n. ult. Zanger. p. 2. c. 21. n. 13.* An autem & hæc cautio præcisè, etiam à possessore bonorum immobilium, sit præstanda? *Neg. per l. 15. qui satisfacere coguntur. 2. quia immobilia loco fidejussoris sunt. Wesemb. in Cod. tit. de satisfat. n. 5. Frideric. process. p. 51. lit. C.* *Obst. l. 51. §. fin. l. seq. de procurat.* ubi dicitur, quod etsi locupletissimus, satisfacere debeat. *R. text.* loquitur de casu, quo quis alterius negotia gerere vult sine mandato. Cum enim periculum subsit, ne iterum Dominus de eâdem re experiatur, *pr. 7. de satisfat.* & ita, an quod gestum ab alio sibi ignoto sit ratum habiturus, omninò satisfacere debet negotiorum gestor, & præstare cautionem rati. *Nec 2. l. fin. C. de princip. agent. in reb. verb. in provinciis immobiles possident facultates adjutoria cautioni & substantia sua credantur. R. 1.* Sunt quidam *Dd.* qui corrigunt textum, & pro adjutoria; legunt juratoria; Sed rectius, ni fallar, ipsis inhæremus textus verbis, hoc sensu, qui immobilia possident, adjutoria; promissioni, id est, nudæ promissioni. *§. 2. l. de satisfat.* cujus fides adjuvatur & augetur

getur per possessionem bonorum immobilium, & sic suæ substantiæ credantur. 2. Si verò legere volumus *juratoria &c.* Respondebimus cum *Nobilissimo D.D. Habn ad n. ult. Parat. Wesemb. qui satisd. cog.* textum esse intelligendum in sensu diviso h. m. Si immobilia possident, releventur ab onere satisdandi propter bonorum substantiam: Si verò non, ad juratoriam cautionem admittantur. Dubiam tamen adhuc facit hanc explicationem copula *ET*, quæ, prout constat, diversa conjungit, non separat. *l. 5. de condit. Instit. §. 11. de hered. Instit. Bz. Interdum etiam disjunctim sumitur l. 53. de V. S. Treutl. vol. 1. disp. 5. tb. 2. lit. C. Magnus D. D. Frantzkius ad tit. qui satisdar. coguntur. n. 39.* Et sic etiam hodiernis moribus, & de Jure Saxonico obtinet. *Schneidw. n. 13. I. de satisdat. Carpzov. p. 1. c. 1. d. 2.*

§. 13. Similis est huic exceptioni illa, quæ de Jure Saxonico maximè observatur, dicta Exceptio Guarandæ, quæ nihil aliud est quàm cautio, quam actor præstat Reo convento, quòd in actione semel institutâ permanere velit, prout nunc est, & quod Reum securum præstare velit, eumque defendere contra quemcunque, si ab eo eadem actione conveniatur. *Friederic. process. p. 59.* Et hanc à Reo petitam, actor præcisè præstare tenetur actu corporali seu manu stipulatâ. *Zanger. p. 2. c. 22. n. 60.* & quidem ante litem contestatam: Cæteroquin reus ad respondendum obligatus non est, sed cum refusione expensarum ab actione absolvendus. *Termin. process. c. 207. n. 10. Carpzov. p. 1. c. 4. def. 5.* Præstitæ sic Guarandæ effectus est, 1. quòd libellus emendari & mutari non possit, neque 2. postea præstitum juramentum deferri, & 3. quod actor reum contra quemvis posthac defendere cogatur. *Zanger. d. l. n. 62. Berlich. p. 1. concl. 19. n. 15. seq. Carpzov. p. 1. const. 11. def. 14. n. 2.*

§. 14. Legitimationis verò exceptio est, quæ opponitur iis, qui legitimam personam standi in judicio non habent: ut pupilli & minores sine autoritate & consensu tutoris & Cu-
C rato-

ratoris. *l. 1. 2. C. qui pers. legit. stand. 2. filiusfamiliās in potestate patriā constitutus, absque patris consensu in iudicio esse nequit. l. fin. pr. vers. fin. necessitate verb. ne iudicium sine patris voluntate consistere videatur. C. de bon. qua lib. l. 9. de O. & A. aliud autem obtinet in castrensibus, & quasi castrensibus bonis, in actione commodati, depositi, nec non injuriarum. l. 8. de procurat. 3. Huc de Sax. jure etiam referri potest mulier, quæ neque pro se, neq; pro alio rectè agit, sed debet ei tutor & Curator ad litem à iudice dari & constitui. Landr. art. 44. 46. lib. 1. art. 63. lib. 2. ubi habetur: Es mag kein Weib ohne Vormund flagen. Coler. decis. 67. n. 17. seqq. Zang. p. 2. c. 8. n. 95.*

§. 15. Ex personâ Rei oriuntur exceptiones 1. Si ipse forsitan speciale habeat privilegium & ob hoc etiam forum privilegiatum, de quibus cum jam supra §. 3. egerimus, nolumus crambem bis coctam iterum apponere. 2. Si Rei non possint conveniri, nisi impetratâ veniâ. Unde exceptionem non impetratæ veniæ habent pater, mater, patronus, patrona, horumque liberi. §. 12. de action. §. ult. & de pœn. tem. litig. l. 4. §. 1. junct. l. pen. & ult. de in jus vocand. & qui tales olim sine veniâ in jus vocabat, 50. aureos pœnæ nomine solvere tenebatur. Dn. Doct. Rebhan hodeg. Jur. chart. 2. clim. 4. parall. 2. n. 42. Termin. c. 103. n. 7. Verùm hodiè, cum eo ipso, quo iudex aliquem citat ad instantiam alicujus, venia intelligatur impetrata, neque hujus pœnæ neque exceptionis magnus erit usus. Zanger. p. 2. c. 9. n. 9. 3. Huc referri potest exceptio justici impedimenti, quando Reus excipit de justo impedimento, ob quod in termino comparere nequeat. Est autem, si quis impediatur morbo fontico, non tantùm proprio, sed etiam consanguineorum. l. 53. §. 2. de re judic. l. 60. eod. tempestate & vi fluminis. l. 2. §. 3. 6. & 7. Si quis caution. in judic. expeditione publicâ necessariâ. l. 6. Si quis caution. funere domestico. l. 4. §. 2. eod. captivitate. l. 4. §. 3. Carentia Advocati. Carpzov. p. 1. const. 9. d. 9. peregrinatione extra fines susceptâ Landr. art. 7. lib. 7. Zanger. p. 2. c. 9. n. 10. seqq. §. 16.

§. 16. Jam videamus, an & quæ exceptio oriatur ex personis minus principalibus: Est ea, ut unico verbo dicam, exceptio procuratoria, quæ datur *vel* contemplatione constituentis, *vel* constituti procuratoris, *vel* mandati, *vel* causæ. 1. *Ratione constituentis* personæ datur exceptio, quando procuratorem dedit is, cui non est permissum. Regulariter enim qui sunt inhabiles ad defendendum seipsum, etiã sunt inhabiles ad constituendum procuratorem. *l. 11. § 14. C. de procurat.* At pupillus sine tutore, minor, furiosus, prodigus & similes seipsum defendere non possunt. *Wesemb. Parat. n. 4. de procurat.* Non enim habent personam legitimam standi in iudicio. *l. 1. § 2. C. qui legit. person. stand. Zanger d. c. 8. n. 106.* Ergò. 2. *Intuitu constituti*, quod nec hic habeat personam legitimam standi in iudicio, ut mulier & miles. *§. ult. de except. l. 7. de procurat. l. 18. l. 9. C. eod. & similes, de quibus Wesemb. d. l. 3. Respectu mandati*, si vel planè nullum, vel insufficiens mandatum proferat procurator, si fortè neglectæ sint formulæ usitatæ. Nisi sint personæ conjunctæ, quæ mandatum habere & producere non tenentur, *l. 35. de procurat.* modò præsent cautionem rati datis fidejussoribus. *Zanger. p. 2. c. 8. n. 37.* 4. *Respectu causæ*, quando actio vel causa in iudicium deducta non admittat procuratorem. *l. 40. de procurat.* qualis est criminalis. *l. 13. §. 1. de publ. judic. l. 1. An. per alium causa appell.* Nec obst. *l. 71. de procurat.* R. enim dist. An causæ criminales sint capitales, an non. In illis procurator non admittitur, in his subdist. utrum pœnam habeant pecuniariam & relegatione minorem, an non. In illis admittitur; in his non æquè; Nisi in casu, quo absentię causa tantum defendi intenditur. *d. l. 71. § l. 13. D. D. Habn ad Wesemb. Parat. n. 5. de Procurat.*

§. 17. Restant exceptiones, quæ sunt de actione institutâ: Hæ concernunt *vel* causæ merita, *vel* modum proponendæ actionis. Illarum 1. Exceptio præjudicialis, à cujus decisio-

ne, multæ cum in præsens, tum in futurum controversiæ dependent, simulque deciduntur. *Bachov. de action. disp. 2. thes. 19. Habn ad Wesemb. de liberal. caus. e. g.* Si frater defuncti adierit hereditatem ab intestato, quam ex testamento defuncti petit infamis quædam persona: Rectè frater opponit exceptionem præjudicialem, quod petens sit infamis, quâ probata actor causâ cadit. §. 1. *I. de inoff. testam. l. 27. C. eod. Zanger. p. 2. c. 10.*

§. 18. II. Exceptio plus petitionis, quando actor plus petit, quàm sibi debetur, idque vel re, tempore, loco, vel causa. §. 33. *de action. & tunc pœna plus petentis actoris olim erat, quòd causâ caderet, id est, litem & rem ipsam perderet; quæ tamen non ampliùs in usu, teste Carpzov. p. 1. c. 3. d. 12.*

§. 19. III. Præcedenti similis est exceptio pacti conventi temporalis, quæ datur Reo, si conventum, ne intra certum tempus ageretur, velut intra quinquennium. §. *temporales. l. b. l. 27. de R. l. l. 3. vers. temporales ff. b. t.* & actor nihilominus contra datam fidem ipsum convenit in iudicio.

§. 20. IV. Exceptio Moratoria (vocatur alio nomine *Quinquennel*/item *Anstandsbriefe* uff gewisse Zeit zu zahlen / intra quod tempus, cum debitor ad solutionem compelli non possit, Saxones dicunt, *Er sey eiser worden.* *Hering. de fidejussor. c. 5. n. 102.*) quæ competit iis, quibus à Principe dilatio certa intra quam debitum peti nequit, concessa est. *l. 2. C. de precib. Imp. Off. ibiq. Dd.* Sunt enim quinquennales beneficium à summo vel territorii Principe, humanitatis & æquitatis intuitu, petenti datum, qui casu fortuito damnum passus, ut intra certum tempus dilationem solvendorum debitorum, moram non respuentium, habeat, nec à Creditoribus pulsari, in carcerem detrudi, aut bonis cedere cogatur, sed interim conficere possit, unde dilatione elapsâ solvere valeat. *Limn. de Jure publ. lib. 4. c. 8. n. 333.* Ex quâ descriptione multis dubiis obviam itur, & quidem I. quisnam concedat. De Imperatore non

non dubitant. *Schneidw. ad §. jus a. Civile. de J. N. G. & C. n. 11.*
 Sed de Principibus maximè, propter *Reformat. guter Policeny*
Ordnung zu Augspurg / de Anno 1548. tit. von verdorbenen
Rauffleuten. Policeny Ordn. zu Franckfurt de Anno 1577. tit. 23.
§. ult. Nos distingvimus tempora : Olim fortasse tantum
 Imperatori inducias concedendi fuit potestas : Sed hodiè
 tam Imperatorem, quam Principes Imperii easdem permit-
 tere, statuimus, sub hac tamen differentià, quòd Induciæ datæ
 ab Imperatore contra creditores, cujuscunque in territorio
 confideant, validæ sint : A Principe autem concessæ, profunt
 debitori, contra creditores, eidem Principi subjectos. *Lymn. d.*
l. n. 329. Imò etiam dari à majori parte Creditorum in præju-
 dicium reliquorum, testatur. *Webner Obs. pract. rubr. Anstands*
brieffe & plurimi ab eodem citati. II. An ergò Princeps omni-
 bus indistinctim debitoribus, inducias petentibus, dare pote-
 rit? Resp. quod non. Sed necessum est. 1. probet, quod peti-
 tio veritate nitatur, se sc. ad tenuiorem fortunam pervenisse.
 2. causa infortunii inseratur, quòd fortunæ asperitate & inju-
 riâ, ex accidenti, non supinâ negligentia & nepotali luxu facul-
 tatibus sint lapsi, sed extra culpam novercales fortunæ assultus
 sustinuerint. *Hering. de fidejuss. c. 5. n. 103.* 3. Ut hujus rei testi-
 monium afferatur Imperatori & Principi à Magistratu suppli-
 cantis. 4. Ut fidejussio idonea pro solutione præbeat. *Fin-*
ckelthaus disput. de moratoria præscript. Lipsia habitâ Anno 1620. tb.
4. lit. F. III. quam diu durent? Sunt tum annales tum quin-
 quennales. *Lymn. d. l. n. 338.* imò & aliquando octennales ab
 Imperatore datas fatetur *n. 342.* IV. quænam debita respuant
 dilationem? quædam obligationes *vel respectu sui, vel respe-*
ctu personarum inducias non admittunt. Illæ sunt debitum
 alimentorum, dotis & studiorum. Hæ, ut quod debetur
 mercenariis, item inopibus & majori paupertatis necessitate
 oppressis. *Webner & Lymn. d. l.* V. An hæc Exceptio etiam
 detur

detur fidejussoribus? Aff. Aliàs n. per injuriam ipsis auferretur beneficium excussionis. Nunquam autem Princeps præsumitur præjudicare voluisse tertio. *l. 43. pr. de vulg. & pup. subst. l. 1. §. merito. & §. si quis à principe. ff. ne quid in loc. publ.* Nec curamus dissentientium argumenta, quorum maximum hoc: Personalia non egrediuntur personam. *l. 68. de R. J.* At hæc exceptio est personalis. Erg. Resp. ad maj. limit. Quodcumq; est merè personale, non egreditur personam. Jam negamus minorem *cum Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 24. tb. 4. lit. E.* Respicit n. non tam personam quam ipsam exactionem, ut aliquo tempore differatur. Vel cum *Lymneo d. l. n. 349.* Licet sit personale, tamen negari non potest, illud esse in rem scriptum, & personæ, non simpliciter consideratæ, sed cum qualitate eâ, quatenus debito onerata, datum eum in finem, ut debiti terminus prorogetur. VI. An autem debitor tempore dilationis etiam teneatur ad usuras? Aff. cum *Bachovio d. l. Ummio disp. 8. n. 26. Finckelthaus. obs. 47.* quia Magistratus superior ex naturâ rescripti moratorii Creditori neque sortem, neque usuras aufert, sed tantum dilationem indulget debitori.

§. 21. V. Exceptio litis pendentis seu litis pendentia, quâ utitur Reus, si lis de eadem re, quæ in judicium deducitur, alibi, h. e. coram alio iudice, pendeat. *Zanger de Except. p. 2. c. 13. n. 1.* Inducitur autem litis pendentia per citationem legitime factam, ad quod *Mascard. concl. § 88. n. 6.* hæc requirit. 1. ut citatio emanaverit. 2. quod à iudice competente facta. 3. quod ad citatum pervenerit. 4. quod sit apta. 5. quod nuncius sufficienter intimaverit.

§. 22. Huc etiam referri potest Exceptio continentia vel connexitatis causæ non dividendæ. *l. 10. C. de Judic.* quod fit vel ratione subjecti, ut si actor convenerit reum coram hoc iudice in iudicio possessorio, coram alio autem eundem conveniat in petitorio. Vel ratione generalitatis, ut in petitione,
here-

hereditatis, familiae herciscundae &c. *Coler, ad c. dilecti. n. 35. De Exception, Ummius disp. 8. tb. 3. n. 16.*

§. 23. VII. Exceptio Excussionis seu ordinis, quâ maximè utuntur fidejussores, ad hoc, ut principalem debitorem, Creditor prius conveniat, qui si non fuerit solvendo, tum ad fidejussores revertatur. *auth. presente. C. de fidejuss. Nov. 4. c. 1.* quâ tamen non gaudent. 1. Si *d. auth. cessante.* expressè renunciaverint. 2. Si fidejussor neget se fidejussorem, & convincatur mendacii. *l. 10. §. 1. de fidejuss.* 3. Si notoriè de inopiâ debitoris Principalis constet, juxta illud, *wo nichts ist / da hat der Keyser sein Recht verlohren.* 4. Si tempore solutionis principalis sit absens. *Schneidw. ad §. si plures. J. de fidejuss.*

§. 24. VIII. Exceptio divisionis, quâ ex pluribus confidejussoribus unus & alter conventi, petunt obligationem, dividi, ut æquales obligatione, etiam solutione æquales præstent partes. *§. 4. J. de fidejuss. l. fin. C. de Constit. pecun. l. 10. §. 1. C. de fidejuss. Ummius disp. 8. tb. 4. n. 29.* Nisi itidem huic beneficio renunciaverint. 2. negando se fidejussores perdiderint. 3. Reliqui confidejussores ad inopiam pervenerint. Inanis n. est actio, quam excludit debitoris inopia. *l. 5. de dol. mal. 4.* nisi sint fidejussores tutorum. *l. fin. Rem pupill. salv. Schneidw. ad §. si plures. de fidejuss. n. 20.*

§. 25. IX. Addamus, cum de fidejussoribus loqui cœperimus, etiam Exceptionem cedendarum actionum, quâ fidejussor solvere paratus, cogit ipsum creditorem, ut cedat actiones, quibus solutum pro ratâ repetere possit à confidejussoribus, idque fieri debet ante solutionem. Antequam n. fidejussori actiones cedantur, potest denegare Creditori debiti solutionem. *Schneidw. d. l. n. 24. Ummius disp. 8. tb. 4. n. 30. Zanger p. 2. c. 16. n. 29.*

§. 26. X. Exceptio Competentiæ, quâ se quidam defendunt à solutione solidi. *Termin. Process. c. 203. n. 38.* Sunt n. quædam personæ, quæ non nisi in quantum facere possunt, con-

conveniuntur, i. e. ita conveniuntur, ut salva eis maneant, quæ ad alimenta, h. e. ad victum & vestitum pertinent. In quo ratio, conditio & status cujusque personæ spectatur. *Bronchorst ad l. 28. de R. J.* Sed quibusnam datur? Hoc docet *l. 16. 17. 18. seq. de re jud.* Nempe habent I. ob pietatem & reverentiam I. Pater *d. l. 16.* 2. liberi *l. 30. eod. junct. l. 18. pr. solut. matrim.* 3. Patronus, patrona, ejusque liberi & parentes. *l. 17. de re judic.* 4. Maritus *l. 17. eod. §. 37. de action. l. 12. l. 15. solut. matrim.* non tantum, si dotis nomine, sed & ratione contractuum conveniatur. *l. 20. de re jud.* 5. Uxor. *l. 20. ib.* II. Ob amicitiam specialem, Socius, sive sit omnium bonorum, sive unius tantum rei. *l. 16. eod. junct. l. 63. pro socio.* Nam *d. l. 16.* non exclusivè, ut excludat socium particularem, loquitur, 2. *d. l. 16.* vox *maximè* subintelligenda hoc sensu: Beneficium hoc datur sociis, & maximè sociis omnium bonorum. *Bachov. ad §. 38. J. de act.* Dictionem n. illam, *maximè*, in jure subintelligi, haud infrequens esse probat, ex *l. 4. §. 4. §. ibi gl. in voc. si sciens. De Edil. Edict. l. estimationem §. 1. gl. in verb. ceperit. de Muner. §. honor. Magnificus Ungepaur, exerc. 5. q. 12. in nego.* III. Ob utilitatem publicam, miles *l. 6. l. 18. de re judic.* IV. Ob singularem æquitatem. 1. qui bonis cessit *§. ult. J. de act. ibi q. Bach. l. 4. de cession. bon.* 2. qui ex causâ donationis convenitur. *l. 19. §. ult. l. 49. l. 50. de re jud. l. 28. l. 173. de R. J. l. 33. de Jur. dot. l. 12. de donat.* Hinc & socer, conventus à genere, ultra facultates non damnatur. *l. 17. solut. matr. l. pen. de Jur. dot. l. 21. de re judic.* quanquam *in b. l. 21. fin.* penè contrarium habeatur. Verùm dist. cum *Zangero p. 2. c. 15. n. 33. §. 36.* An socer durante matrimonio conveniatur, & tunc tenetur saltem, in quantum facere potest. An eodem soluto, & tunc quasi in pœnam, quòd socer dolosè minusvè decenter egerit eo, quod dotis solutionē tam diu distulerit, ut onera matrimonii maritum solum sustinere oportuerit, in solidum tenetur.

§. 26. XI. Et ultima sit exceptio Spolii, quæ datur Spoliato

liato contra Spoliantem. Spoliatus n. ante omnia est restituendus. c. 2. *Et c. fin. de Ord. cognit. c. 1. c. in literis Et t. t. de restit. Spoliat. Socin. reg. 379. Coler. decis. 266. ubi aliquot ampliationes Et limitationes d. reg. recenset.* Quà uti volens probare debet 1. quod Spoliatus tempore Spoliationis possederit. 2. quod de possessione fuerit ejectus ab adversario, vel ab alio, ejus nomine, cujus tamen Spoliationem ipse ratam habuit. *Vallens, Parat. Jur. Canon. n. 4. de restit. Spoliat.* Contra heredes tamen Spoliatoris non datur, nisi in quantum ad eos pervenit. *Ummius disp. 8. tb. 4. n. 24. Zanger. p. 2. c. 18. n. 9.*

§. 27. Progrediamur jam ad exceptiones, quæ respiciunt modum actionis proponendæ. Et est I. Exceptio sub & obreptionis, quæ mendaciorum vocatur præscriptio. *l. 2. C. si contra jus Et util. publ.* quæ opponi solet omnibus mandatis, rescriptis, inhibitionibus, & literis principum, aliorumve judicum, tam cum clausulâ, quam sine clausulâ justificatoriâ, ad instantiam & falsam affirmationem supplicantis emissis, sive in juris, sive facti narratione, sive in tacendi fraude mendacium reperiatur. In omni enim rescripto hæc clausula, *si ita est, si preces veritate nitatur,* subintelligitur. *c. ex parte 2. c. olim. 25. de rescript. Vallens. d. l. n. 4. de rescript. Zanger. p. 2. c. 17. n. 2. Ummius tb. 7. n. 48. Coler. ad c. dilecti. n. 44. de Except.*

§. 28. II. Exceptio ineptæ cumulationis plurium actionum. Licet enim ex uno facto sæpius plures competant actiones, eadem tamen non possunt semper in uno eodemq; proponi libello: ita e.g. non licet cumulare actionem ex *l. diffamari. C. de ingen. manumiss.* cum actione injuriarum. *Finckelthaus Observat. 55.* Est enim in utraque diversus finis. Nam *l. diffamari* eò tendit, ut diffamanti certus terminus præfigatur ad agendum, & si non agat, ut perpetuum silentium ei imponatur. Actio verò injuriarum hunc finem sibi propositum habet, ut injurians vel ad certam pecuniæ æstimationem

D

sibi

sibi, vel fisco inferendam, vel injuriæ illatæ revocationem con-
demnetur, vel utroque modo conjunctim injuriato satisfiat.
Gail. lib. 1. Obs. 65. Regulariter itaque, in quibus sententia lata in
unâ, parit exceptionem rei judicatæ in alia, in his Cumulatio
non admittitur. *Schneidw. ad §. si minus. J. de action. n. 18.* II. Si
actiones ejus sunt conditionis, ut unâ electâ altera perimatur.
e.g. pro legato consequendo tres dantur actiones, personalis
ex testamento, Rei vindicatio, & hypothecaria. §. 2. *J. de legat.*
l. 1. & 2. C. Commun. de legat. non tamen omnes tres actiones
simul intentari & cumulari possunt, sed una. *l. 76. §. 8. de legat.*
2. Coler. ad c. dilecti. n. 43. de Except. Ummius disp. 6. tb. 14.

§. 29. III. Exceptio libelli inepti, qualis est. i. alterna-
tivus. *arg. l. 7. §. 4. de Injur.* Alternativa enim oratio obscuri-
tatem & incertitudinem parit. *Mynsing. cent. 2. Obs. 42. & cent.*
4. Obs. 11. Nisi i. ex obligatione alternativâ agatur. §. 33. *J. de acti-*
on. vers. huic autem. 2. In materiâ *l. 2. C. de rescind. vendit.*
quia secundum dictam *l.* aut emtor pretium supplere, aut rem
venditam reddere tenetur. *Dn. D. Habn. ad n. 4. Wesemb. de e-*
ded. II. Generalis. Wesemb. n. 4. de edend. quod tamen limi-
tatur i. in judiciis Universalibus, ut hereditatis petitione, fa-
miliæ hercisc. actione ex testamento. 2. In judiciis generali-
bus, ut tutelæ, pro socio, de peculio. *Schneidw. ad §. curare. J. de a-*
ction. n. 10. III. Obscurus. Cum enim sententia debeat ferri
perspicua & certa. *t. t. C. de sent. que sine cert. quant. Wesemb. n.*
7. de re judic. hæc autem feratur secundum libellum, non pot-
est sententia certa ferri, nisi & libellus sit certus. Hinc tradunt
Dd. hæc tria libellum, probationem, & sententiam semper de-
bere esse conformia. *Modest. Pistor. vol. 2. consil. 16. n. 31. Ma-*
scard. de probat. q. 2. adeò, ut fatuus dicatur judex, qui in aliò
condemnat, quàm petitum est. *l. fin. C. de fideicom. l. 18. ff. Com-*
mun. divid. Schneidw. ad §. curare n. 40. J. de act. Factum ergò
apertè & congruè, cum omnibus suis circumstantiis narretur,
neesse

necessè est, ita, ut ex eò causa petendi, & exinde conclusio sequatur: Verùm tempus & locum apponi non requiritur, nisi in causis Criminalibus. *l. in causis, ibiq. gl. C. de Accusat. Ayres. p. 1. c. 4. obs. 6. n. 27. 28.* Hac ita oppositâ exceptione libelli inepti, iudex reum ab observatione iudicii absolvere, & actorem in expensas condemnare debet. *Zanger. p. 2. c. 14. n. 2. Coler. ad c. dilecti. n. 38. de Except.*

SECTIO IV.

De

EXCEPTIONIB. PEREMTORIIS.

Relictis dilatoriis, jam nos ad peremptorias conferamus, illas sc. quæ, prout jam dictum, actionem in totum perimunt & tollunt. §. 9. *J. h. l. 3. eod.* Et sunt itidem *vel* exceptiones veræ & propriæ, *vel* impropriæ. Hæ, quæ ipso jure elidunt actionem, ut si obligatio, ex quâ actor agit, prorsus sit extincta; quod fit, quando unâ cum vinculo æquitatis, Civilis quoque nexus perimitur. Illæ vero, ubi sublato vinculo æquitatis, civilis tantum manet obligatio. *Bachov. ad pr. J. quib. mod. toll. oblig.* Vel prout idem *Bachov. ad Treutl. disp. 29. vol. 2. th. 1.* clariùs loquitur, quando aliqua adhuc subest obligatio, ejus tamen qualitatis, ut iniquum sit reum condemnari, æquum tamen ei succurri per exceptionem, quâ elidatur intentio actoris.

§. 2. Priùs agamus de impropriis: propterea autem eas vocamus improprias, quia h. l. nulla subest obligatio. Ubi nulla subest obligatio, ibi nec actio esse potest. *l. licet. §. ea obligatio. de procurat.* Ubi nulla actio, nec potest esse actionis exclusio. *l. 2. h.* Sunt autem præcipuæ ferè hæ, solutio, novatio, acceptilatio, compensatio & præscriptio. De quibus jam brevibus.

D 2

§. 3. I. Ex-

§. 3. I. Exceptio solutionis opponitur illi, qui solutum adhuc petit contra bonam fidem, quæ non patitur, ut bis idem exigatur. *l. 57. de R. J.* Solutione enim debiti, omnis tollitur obligatio. *pr. Inst. quib. mod. toll. oblig. l. 23. de Solut.* quod verum, si res ex eadem causâ bis petatur. Cæterum 1. si ex diversis obligationibus res eadem petatur, singulæ causæ singulas præstant solutiones. *l. fundum Cornelianũ. de Novat.* 2. Si à diversis personis res eadem petatur, e.g. Si mihi eadem res, à duobus, in diversis testamentis, esset legata, quæritur, an bis eadem peti possit. Resp. quod sic, per. *l. 34. §. 2. de legat. 1.* Et quidem ex altero res ipsa, ex altero æstimatio rei. *Bronchorst. ad l. 57. de R. J. Zanger p. 3. c. 1.*

§. 4. II. Præcedenti similis est Exceptio Acceptilationis. Est autem Acceptilatio, solutio imaginaria, verbis solennibus constans. §. 1. *J. quib. mod. toll. obl.* quando ergo quis petit debitum ex stipulatu, quod per acceptilationem fuit dilutum, tunc rectè hæc à reo opponitur exceptio.

§. 5. III. Nec absimilis Novatio, quando *vel* interven-
tu novæ personæ, obligatio in aliam translata fuit, & hæc vocatur aliàs in specie delegatio. *Vel* eadem personâ manente, posteriori obligationi aliquid novi additũ. §. 3. *J. quib. mod. toll. obl.*

§. 6. IV. Exceptio præscriptionis, quæ est liberatio ab actione per tempus legitimè reo quæsita. *Zanger. de except. p. 3. c. 10. n. 27.* An autem, & quando hæc exceptio justè possit opponi, elucebit ex ejusdem requisitis. Requiritur verò quædam, ex parte *objecti*, quædam ex parte *subjecti*. Ex parte *objecti* requiriturabilitas, ut res sit ad præscribendum habilis, vel ut cum *Bachov. ad §. 1. Inst. de Usucap.* loquar, usucapibilis. Quædam enim non possunt usucapi I. Naturâ, *vel* ob defectum instrumenti necessarii, quod non possint possideri, ut servitutes. *l. 32. §. de serv. præd. Urb. l. 14. pr. de Servit.* quod hodie per *l. ult. C. de*

C. de præscript. long. temp. correctum; Vel ob defectum finis, quòd non possint esse in Dominio privati, ut res divini juris, res sacræ, sanctæ, religiosæ. §. 8. 9. 10. J. de R. D. II. Favore Domini, qui vel consideratur solus, 1. in rebus pupillorum. l. 10. pr. ibiq; Goth. quemadm. serv. amit. l. 48. pr. verb. si pupilli sit. de A. R. D. 2. In fundo dotali. l. 42. de Usucap. Vel concurrente delicto alterius, ex quo ipsi rei injunctum est vitium, in rebus furtivis & vi possessis. §. 2. & 3. J. de Usucap. Ex parte subjecti requiruntur 1. possessio. l. 25. de Usucap. eaque 1. Civilis, 2. continuata, vel in unâ eademque persona, vel in diversis, ut in successore Universali & singulari. §. 12. J. de Usucap. 2. bona fides, quæ in modis acquirendi nihil aliud est, quàm rei alienæ ignorantia, seu credere, rem se ita habere, ut ab alienante proponitur. l. 109. de V. S. Sicut mala fides rei alienæ scientia. Rebban. bodeget. Jur. chart. 2. clim. 2. parall. 2. n. 24. 3. Justus titulus, pr. verb. aliave quavis justâ causa. J. de Usucap. & domini translativus, non autem erroneus & putativus. §. 11. J. eod. Nec obst. l. 3. verb. quæ ergò ante non motæ actiones. l. 7. §. 1. verb. in solo sit annorum numero. l. 8. §. 1. verb. fin. nisi ipse injustus. C. de præscript. 30. ann. ubi ad præscriptionem neque titulus, neq; bona fides desideratur. Resp. n. ex ipso textu, dist. inter præscriptionem, quæ se fundat in nudo temporis lapsu, & inter præscriptionem, quæ se non tam fundat in temporis lapsu, quàm in aliis requisitis. Illa vel est longissimi temporis, & 30. & 40. annorum, vel immemorialis & 100. annorum, & neque titulum, neque bonam fidem requirunt. Hæc omninò. Magnificus Dn. D. Frantzke. exer. 5. q. 7. Sutholt. dissert. 6. th. 25. Nobiliss. Dn. D. Hahn. ad n. 7. Weseemb. de Usurpat. Nobiliss. & Consultiss. Dn. D. Struve, Præceptor meus de venerandus, in prælect. privat. ad d. t. 4. Tempus lege definitum, in mobilibus triennium, in immobilibus inter præsentibus 10. inter absentes 20. annorum. d. pr. h. l. un. C. de Usucap. transform. Quicumque ergò rem usucapibilem, bona fide,

D 3 justo

justo titulo, & tempore legibus definito, possedit, si post con-
veniatur ab eo, qui se verum Dominum esse proponit, sese ex-
ceptione præscriptionis contra eundem tueri potest. Verùm
haud infimi subsellii Dd. contradicunt nobis, dicentes, quòd
tali remedio non liceat uti, cum sit contra jus naturæ. Arg. Q.
est contra jus naturæ, illo tutò uti non licet. Usucapio est con-
tra jus naturæ. Erg. Min. prob. Quodcunque alterum cum
alterius jacturâ facit locupletiolem, illud est contra jus natu-
ræ. Usucapio hoc facit. Ergo. Maj. prob. per. l. 11. § 216. de R.
J. §. 3. J. de Just. & Jur. Borcholt. ad pr. n. 1. 2. J. de Usucap. ubi as-
sectas sua sententiæ Angelum, Alexandrum, Cujacium, Covarruv. &
Vasquium refert. Eandem quoque sententiam strenuè defen-
dit Hunnius ad Treutl. vol. 2. disp. 22. th. 7. q. 47. Contrariam ta-
men sententiam fovent Nobilissimus Dn. D. Habn. ad n. 9. We-
semb. de Usurpat. Nobilissimus & Consultissimus Dn. D. Struve in
prelect. priv. ad h. t. Magnificus & Consultissimus Dn. D. Ungepaur
exerc. 7. q. 2. in nego. nec non Nobilissimus Dn. D. Tabor in partit. E-
lement. p. 2. th. 22. in i. n. J. 1. quibus & nos ad stipulabimur, respon-
dentes ad Syllogismum primum neg. Minorem. Jus n. naturæ
de modis acquirendi Domini nihil præcisè præcipit, Dn. Doct.
Struve d. l. Quæcunq; autem indeterminata sunt lege naturæ,
illa humanis institutis huc & illuc possunt flecti. Nobilissimus
Consultissimus & Experientissimus Dn. D. Conring. Præceptor meus
omni Observantia & cultu dignissimus, disp. de Jure th. 50. & disp. De
Legibus. th. 23. Quod divina lege (vel jure naturæ) determi-
natum non est, & facere tamen aliquid, vel ad publicam rem,
vel ad ordinem & decorum in Ecclesiâ, (& Rep.) probabiliter
putatur, id solum & omne (cæteris paribus) pro arbitrato,
vel jubere, vel vetare Majestas potest. Subsumo. De modis ac-
quirendi neque lege divinâ, neque naturæ, quicquam est de-
terminatum &c. Ergò Majestas pro arbitrato de iisdem
disponere potest. Porro Usucapio est modus acquirendi
dominii.

dominii. Erg. de eadem disponere potest. Jam talibus ipsa natura vel obtemperandum suadet, vel vetat: posterius non. Sine quo n. homines secundum naturam bene vivere non possunt, id omne naturæ mandatum est. Sine legibus à Majestate latis non bene potest institui vita. Erg. *Dn. D. Conring. de Jure tb. 54.* Et sic iisdem obedientiam exhibendam suadet ipsa natura. Nunc respondebimus ad minorem invertendo eandem. Quodcunque natura mandat, illud non potest esse contra jus naturæ. Usucapionem natura mandat. Erg. non erit contra jus naturæ. Ad Prosyllogismum Resp. Majorem ita simpliciter positam subsistere non posse. Nam per instantiam. I. Donatio Donatarium cum donantis jacturâ reddit locupletiolem. Erg. donatio est contra jus naturæ. §. 40. de R. D. 2. Princeps ex justâ causa privato etiam invito rem suam auferre potest. *Bronchorst. ad l. 11. de R. J.* Ergò hoc contra jus naturæ. Resp. 2. Majorem limitando: Q. alterum cum alterius non consentientis jacturâ facit locupletiolem, illud est contra jus naturæ; ita aliquâ ex parte, non autem omnimodò potest concedi major; Sed neg. Min. Dominus n. anterior, tanto temporis spatio non inquirens in res suas, videtur eas pro derelicto habere, adeoque adest ipsius præsumta voluntas, *arg. l. 28. de V. S. Nec aliud volunt l. 11. §. 206. de R. J. verba sine facto nostro. §. verba. cum alterius injuriâ.* Per factum h. l. potest intelligi negligentia, per locupletationem, locupletatio injuriosa & fraudulenta. *Dn. D. Tabor. d. l. qui autem jure suo utitur, nemini facit injuriam. l. 13. §. 1. de Injur. l. 155. §. 1. de R. J. l. 203. eod.* Si enim de quavis locupletatione loquerentur, omnes actiones pœnales, quibus sine dubio actor fit locupletior, reus pauperior, essent tollendæ. 3. quia locupletationem etiam cum alterius injuriâ aliquâ ex parte admittit *l. 16. §. 4. de minor. multò magis hoc casu, quo interesse Reip. versatur. l. 1. de Usurpat. nempè ut domini omniũ rerum sint certi, ne aeri inculti*

inculti jaceant, res sine curâ relictæ dispereant, & Aërarium
tributis privetur. Unicum saltem adhuc movet scrupulum
Nov. 9. ubi vocatur Usucapio impium præsidium, qui erit exi-
mendus. Resp. cum *Ummio disp. 8. n. 45. Dn. D. Uingepaur & Ta-
bore. 1.* Vel illam Novellam esse subdititiam. Jura n. nostra
non suggerunt iniqua præsidia. *l. 15. de condit. Inst.* Arguit hoc
evidenter & genus orationis, & quòd in Græco exemplari *d.
Const.* non habeatur, & quòd in eo summus Pontificatus Papæ
Romano tribuatur. Vel 2. Ut alii respondent; Imperatorem
non loqui ἀπλῶς, sed cum respectu ad homines impios, qui
jure isto abuterentur, scientes, rem alienam, & sacro cultui
esse destinatam. Sed de his pluribus in conflictu.

§. 7. V. Exceptio compensationis, quæ est debiti &
crediti contributio. *l. 1. ff. de compensat.* Est n. pro solutione,
l. 4. C. eod. modò debitum & creditum sit liquidum. *l. fin. §. 1. C.
d. l.* idque, vel ex confessione Adversarii, utpote quæ tanta est,
ut pro judicato habeatur. *l. 65. de re judic. l. 29. §. 1. de donat. l. 1. §.
6. de confess. l. 1. §. 7. si quid in fraud. patron.* Unde & probatio
probata, & omnium probationum superlativa vocatur. *Anton.
Bullæus consil. 3. n. 23.* Vel ex genere quæstionis, cum de facto
non disceptatur, sed quæstio juris est inter actorem & reum:
ut, an ex morâ debeantur usuræ in contractibus bonæ fidei.
Hæc n. quæstio, quia jure certo definitur. *l. 32. §. 2. l. 17. §. 3. de Usur.*
est liquida. Vel ex celeritate probationis, quando debitum
ampliolem & majorem indaginem non exposcit, *D. D. Habn.
ad n. 7. Wesemb. Parat. de compensat. qui ad n. 4. ibid.* quinque re-
compensationis recenset requisita. 1. ut sit debitum utrinque
2. ut res generis. 3. Ut verè debeat. 4. Ut purè. 5. Ut debitum
sit liquidum. Ex quo jam decidi potest Q. I. An species cum
specie possit compensari? Neg. Aliud n. pro alio invito cre-
ditori solveretur, quod non licet. *l. 2. §. 1. de R. C. Zanger. p. 3. c. 8.
n. 110.* II. In quibus ergò casibus locum habet? Resp. Tam in
judi-

judiciis stricti juris, quàm bonæ fidei, tam realibus, quàm personalibus. §. 30. *f. de action. l. fin. C. de compensat.* Exc. 1. depositum, 2. Spolium, *d. l. ult.* 3. Commodatum, *l. ult. C. Commod. 4. l. 4. C. de compensat.* plures habentur exceptiones. Jam traditis *obst.* I. Ubi non est creditum & debitum, nec potest esse debiti & crediti contributio. In realibus non est creditum & debitum. Erg. Resp. Debitum sumitur dupliciter, 1. pro eo, ubi adstringitur alterius persona ad aliquid præstandum. *l. 3. de O. & A.* quod fit obligatione, sive illa immediatè sit ex jure, sive mediatè per factum hominis: Et ita opponuntur debitum & nostrum. *d. l. 3.* 2. Impropiè, pro omni eo, ad quod quis tenetur. *l. 10. l. 11. & l. 180. de V. S. Dn. D. Habn. ad Wesemb. n. 4. de R. V.* *obst.* II. Si aliud pro alio invito Creditori solvi non potest, sequitur, quòd nec compensationi locus possit esse in actionibus realibus. Sed prius est verum. Erg. Resp. itidem dist. inter vocem compensationis propriè, & impropiè sumtam. In realibus locus est compensationi, non formaliter sic dictæ, sed tantùm effectutenus, quatenus alter rem tam diu potest retinere, usque dum ipsi satisfactum; sic in effectu est compensatio. *Dn. D. Frantz k. exerc. 9. q. 7. n. 1.* Compensatio n. significat vel retentionem perpetuam, quæ habet vim solutionis, vel temporalem; quæ aut loco pignoris est, *l. 18. de pignor. act.* aut ad certum tempus debitum, vel tollit, vel minuit. *l. 5. §. 2. de Impens. in res dot.* *obst.* quòd actor possit replicare dicendo, quòd tibi debeo, potes aliâ actione petere. Resp. non est audiendus. Meliùs est n. intacta jura conservare, quàm post causam vulneratam remedium quærere. *l. fin. C. in quibus caus. rest. in integr. non nec.* Et interest nostra, potius non solvere, quàm solum repetere. *l. 3. de compensat.* frustra quoque fit per plura, quod potest fieri per pauciora. Unde cum hoc possit uno judicio expediri, videlicet per actionem & exceptionem, nõ debet admitti pluralitas judiciorum propter sumtus, laborem, & moram. Maximè cum & ad judicis officium pertineat, lites

E

dimi-

diminuere. l. 21. de R. C. Schneidw. ad §. in bonæ fid. n. 8. I. de a-
ction.

§. 8. VI. Huc ob affinitatem referimus exceptionem
retortionis, quâ utitur is, qui ob injurias verbales à læso con-
venitur, quas tamen jam regessit auctori. Ubi duæ spinosæ no-
bis occurrunt quæstiones. 1. An retortione uti liceat? 2. An
retortio tollat actionem injuriarum? In primâ Doctores non
conveniunt: Negant n. Schneidw. ad §. in bonæ fid. J. de action.
n. 24. verùm sibi ipsi contrarius. ad §. 1. J. de Injur. n. 8. 9. Finckel-
thaus. Observ. 37. Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 31. th. ult. fin. Um-
mius disp. ad process. 14. in παρέρω p. 609. Henning. Renneman.
tract. de retorsionis Jur. part. 3. th. 17. lit. A. Econtra affirmant
Berlich. p. 4. concl. 64. Carpzov. prax. Crim. part. 2 q. 97. n. 22. Magn.
Dn. D. Frantz. exerc. 12. q. 7. Nobiliss. Dn. D. Struve dissert. de da-
mnis th. 17. & disput. inaug. de privat. vindict. th. 49. ibiq. ad-
versarios strenuè refutat. Johan. Grake. tract. de autoritate privatâ
class. 3. cap. 4. n. 3. Sutholt. dissert. 16. th. 56. ibiq. Ampliss. Dn. D. Schrö-
ter. in quorum posteriorum castra & nos transimus. Defensio
n. est licita. l. 3. de J. & J. l. 4. l. 45. §. 4. ad L. Aquil. Retortio est
species defensionis. Erg. 2. Quicquid non punitur, fit jure per-
mittente. l. 3. §. 1. de concubin. l. 4. C. ad L. Jul. de adult. l. 13. §. 1. de
injur. l. 151. de R. J. l. 25. C. de administ. tut. Retortio non punitur.
Erg. quo argumento Imperator etiam usus, in probandâ con-
cubinatus impunitate. d. l. 3. §. 1. ibiq. Gothofr. Vel ita: Quod
non expressè à jure reperitur prohibitum, illud dicitur esse de
genere permissorum. l. 28. §. 2. ibiq. Gothofr. Ex quib. caus. maj.
Schneidw. ad §. si minus. J. de action. n. 16. Retorsio non reperi-
tur prohibita. Erg. Obst. 1. quod sit Jure divino interdicta. Le-
vit. 19. v. 18. Ezech. 25. 13. Rom. 12. 14. 17. 19. Matth. 5. v. 44. 1. Corinth.
12. 13. Resp. dolosum nocendi animum quidem prohiberi, sed
non defensionem, prout patet, Exod. 22. v. 3. Genes. 14. v. 14. & 15.
Exod. 2. v. 12. Proverb. 24. v. 11. Obst. 2. quod retorsionem co-
mitetur

mitetur vindicta privata. Resp. non omnis privata vindicta
est prohibita. *l. 20. 22. § 24. ad L. Jul. de adult. Obst. 3.* Quodc.
sine læsione fieri non potest, non est concedendum. At retor-
sio sine læsione fieri non potest. Erg. Min. prob. Semper n. no-
va infertur injuria. Resp. 1. per instantiam: Defensio necessa-
ria sine internecone alterius fieri non potest. §. 2. *ad L. Aquil.*
Actio injuriarum sine læsione fieri non potest. *l. 1. de his qui not.*
inf. Erg. erunt illicitæ. Resp. 2. ad maj. limit. Quodcunq; sine læ-
sione *injusta* fieri non potest, non est concedendum. Jam neg.
Min. Ad ejusdem probat: Resp. dist. inter injuriam sumtam
materialiter, & formaliter. *D. Habn. Parat. Wesemb. n. 3. de pri-*
vat. delict. p. 680. Formale cujusvis delicti consistit in diffor-
mitate à jure. Sic qui vim vi repellit, facit vim, sed non inju-
stam, qui alterum occidit, ad sui defensionem, homicidium
committit physicè, sed non moraliter. Formaliter ergò inju-
rians non læditur. *Obst. 4.* quod injuria illata, per retorsionem
non possit fieri non illata. *l. verum. 31. de R. J. l. in bello. 12. §. facti. 2.*
de captiv. § postlim. Resp. 1. neque per recuperationem rei ab-
lata potest fieri, ut res illa non sit unquam ablata, & tamen est
licita. *l. 3. §. 9. de vi § vi arm. 2.* imò quoad effectum, injuria
subsecutâ retortione habetur pro non illatâ. *Obst.* quod den-
tur ordinaria juris remedia pro vindicandis injuriis. *l. 16. de mi-*
nor. Resp. ne sic quidem firma conclusio: Cum & pro recu-
peratione rerum dentur ordinaria remedia, & tamen vim in
rebus illatam vi repellere licet. *l. 1. §. 27. § 28. de vi § vi arm. l.*
1. C. unde vi. Obst. quod sit contra modestiam. Resp. neg. Mode-
stia non vult, ut ob injurias planè non commoveamur; sed ut
legitimum modum servemus. *Obst.* De quocunque remedio,
neque in corpore juris, neque Recessibus Imperii mentio fuit
facta unquam, illud minimè erit legitimum. De retorsione
neque in corpore Juris &c. Erg. Resp. ad maj. 1. per instantiam.
De Palinodiâ neque in corpore juris, neque recessibus Impe-

rui fit mentio. Erg. 2. Major constat insufficienti partium enumeratione, quem defectum supplebimus h.m. Quodcunque neque in corpore Juris, neque Recessibus Imperii &c. fundamentum habet, neque moribus est approbatum, illud non est legitimum. Jam negatur Minor. l. 13. §. ult. verb. *usurpatum* tamen & hoc est, tametsi nullo jure. ibiq; Gothofr. de injur. §. 9. J. de J. N. G. & C. l. de quibus 32. l. 33. de legib. Dn. D. Struve cit. loc. Jam ad alteram, quæ non minus dubia est quæstio. An scilicet retorsio actionem injuriarum tollat? Siquidem negant *Cotbman. vol. 2. resp. 59. n. 205. Nebelcrâ. decis. 18. Renneman de Jure retortion. part. 3. th. 47.* Verum affirmant *Berlich. p. 5. concl. 64. n. 38. seqq. ibiq; etiam ad argumenta ipsius Nebelcrâ. respondet. D. D. Habn ad Wesemb. Parat. de injur. n. 12. verb. dissimulatione. Nobiliss. Dn. D. Struve d. dissert. de privat. vindict. th. 56.* à quorum partibus & nos stabimus. Quod n. quis jam consecutus, de eo, ceu consequendo, amplius agere non potest. l. pænæ. 42. de condiç. indeb. l. bona fides. d. R. J. ibiq; *Decius & Bronchorst.* At per tetorsionem quis jam suum consecutus. Erg. de eo amplius agere non potest. Min. prob. quia per retorsionem defendit honorem, & insuper coercuit convitiantem, regerendo injurias; Ad quod aliàs intenditur actio injuriarum. *Obst.* Quæcunque actio tendit ad pœnam, pro factâ contumeliâ consequendam, illa non potest facto aliquo extrajudiciali tolli. Actio injuriarum est talis. Erg. Maj. prob. aliàs n. delicta manerent impunita; quod fieri non debet. l. 51. ad L. Aquil. Resp. ad maj. per instantiam. Transactio plerumq; est extrajudicialis. Erg. non tollet actionem injuriarum, contra l. 17. §. 1. de pact. l. 18. C. de transact. 2. Per inversionem: Quamcunq; viam elegisti, illam ambula. l. 21. §. fin. quod met. caus. l. 1. §. illud. de Separat. l. 76. §. 8. de legat. 2. Jam si extrajudicialem elegisti, tibi altera non patebit. In probatione majoris, committitur fallacia plurium interrogationum, Nempè ex quolibet delicto non.

non tantum læditur is, qui offenditur, sed & Resp. cujus honestissimæ leges violantur, *Dn. D. Prueschenck. de jure aggratiandi. posit. ii. n. 315.* Ex quo jam patet, duas diversas esse quæstiones.
1. An retortio præjudicet læso, quoad actionem instituendam.
2. An hæc retorsio præjudicet Magistratui? Priorem affirmamus; posteriorem negamus. *Obst. 2.* quod nullo textu habeatur, retorsione finiri actionem injuriarum. *Nov. 18. c. 5.* Resp. sufficit, quod moribus obtineat, per jam tradita. *Obst. 3.* quod hic planè non fuerit retorquentis animus. Resp. quilibet præsumitur id velle, quod legibus & moribus constitutum atque introductum, *arg. l. 55. de legat. 1. Obst.* quando ex uno facto duo oriuntur modi agendi, non prohibetur quis uno expertus, ad alium deflecti, ut consequatur, quod in eo plus est. *l. 41. §. 1. de O. & A.* Resp. Hoc verum, quando ex uno facto duæ speciales & separatae actiones oriuntur, quæ diversos habent fines, qualis est actio furti & condictio furtiva. *§. 14. f. de action.* At retorsio & actio injuriarum, non tendunt ad diversos fines, sed ad eundem. *Obst.* quod actio recantatoria cum actione injuriarum possit cumulari. Resp. à separatis malè infertur. *l. ult. ff. de calumniat.* Illo enim casu propterea potest cumulari, quod actio injuriarum nondum sit sublata: Hoc nostro casu actio injuriarum planè est perempta. *Obst.* denique: Nemo propriam allegans turpitudinem est audiendus. *gl. in l. transactione finita. C. de transact.* At qui conventus actione injuriarum excipit de retorsione facta, allegat propriam turpitudinem. Erg. actor non erit audiendus. Resp. 1. ad maj. per instantiam: qui pactus de crimine capitali, si de eo conventus opponit exceptionem transactionis, *l. 18. C. de transact.* allegat propriam turpitudinem. Erg. 2. neg. Min. qui n. jure suo utitur, non potest quid turpe agere. *l. 13. §. 1. de Injur.* De reliquis in conflictu.

§. 9. Jam relictis impropriis, de veris exceptionibus, quæ sc. elidunt actionem jure adhuc competentem, dicendum

E ; dum

dum. Nascuntur a. eæ, vel cum ipso negotio, vel post illud: Illæ, vel ex re seu causâ tantum, vel ex personis, quibus tribuuntur. Ex solâ re proficiscuntur exceptio doli, 2. metus, 3. Erroris. 4. non numeratæ pecuniæ. Ex personis, exceptio Senat. Consult. Velleiani. 2. Scti Macedoniani. 3. Minorennitatis. *Trentl. vol. 2. disp. 26. th. 5. Ummius disp. 8. th. 5. Rebban. cit. loc. n. 44.*

§. 10. Seorsim, & in specie de iisdem agentibus, primò occurrunt Exceptiones, cum ipso negotio ex re tantum provenientes, & ex iisdem I. Exceptio doli, quæ tunc locum habet, quando quis dolosè est inductus ad contrahendum, idq; verum in contractu stricti juris, & de dolo incidente in contractu bonæ fidei. *l. 13. §. 4. de act. emt.* Nam dolus dans causam contractui bonæ fidei, facit eundem ipso jure nullum. *l. 3. §. fin. pro socio. Nobiliß. Dn. D. Habn ad Wesemb. n. 1. de dol. mal.* Duplex a. est hæc doli mali exceptio; Generalis, & Specialis. Hæc, si quâ dolus ab actore, sive in ipso negotio, sive post, commissus est. *l. 6. de dol. mal. & met. except.* Illa, quando quodcunq; petitur contra naturalem æquitatem & bonam fidem. *l. 2. §. 5. l. 12. l. 5. §. 33. de dol. mal. & met. except. ibiq; Dn. D. Habn. n. 1. Ummius d. th. 5. n. 32.* An verò hæc exceptio doli æquè ac actio doli infamet? Affirmat *Zanger p. 3. c. 13. n. 102. & pro sua sententiâ allegat. l. 4. §. 16. de dol. mal. & met. except.* Negat *Wesemb. n. 8. de dol. mal.* cui & nos album calculum adjicimus.

§. 11. II. Exceptio metus datur adversus petentem id, quod metu promissum. *§. 1. J. b. l. 4. §. pen. de dol. mal. exc.* quod enim metus causâ gestum, prætor non vult ratum habere. *l. 1. quod met. causa, & quæ metu & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari, c. 2. extr. de his quæ vi metus v. causa.* modò sit talis, qui cadat in hominem constantem. *l. 5. 6. b.* qualis esse censetur mortis. *c. cum dilectis. extr. b.* mutilationis; quia hæc est quædam mors partialis membri. *arg. c. 2. si quis absciderit. dist. 55.* item amissionis vel universi patrimonii vel majoris partis.
Vallens.

*Vallens. Parat. Decretal. n. 8. De his quæ vi metusve caus. Sed dubi-
tatur, An quod metu gestum, de jure subsistat? Nos Affirm.
cum Dn. D. Hahn qui insimul ad contraria respondet n. 5. Parat.
Wesemb. quod met. caus.*

§. 12. III. Exceptio erroris datur adversus petentem id,
quod quis per errorem, vel juris, vel facti, quasi deberet, pro-
miserit. §. 1. *J. b. l. 7. de dol. mal. exc. Zanger. p. 3. c. 13. n. 107. Ummius d.
l. n. 34. Errantis enim & consentientis non potest esse idem ef-
fectus, sed potius contrarius. l. 15. de Jurisdic. l. 20. de aq. plu. arc.
l. 57. de Obl. & Act. l. 2. pr. de judic. l. 116. §. ult. de R. J. l. 8. & 9. C. de
Jur. & fact. ignor. probatur a. ostendendo, rem se aliter habe-
re. Mascard. de probat. vol. 2. concl. 642. Obst. l. 3. §. fin. de Supellect.
leg. ex quâ ita quis posset argumētari. Si error commissus, acto-
ri jus certū constituit, sequitur, quod actor non possit excepti-
one repelli. Sed prius constat *d. l. Erg. Resp. neg.* Alius planē
sensus est *d. l.* nempe vasa argentea non veniunt nomine su-
pellectilis legata. *l. 1. de Supell. leg.* Quod si tamen, hoc non ob-
stante, testator de facto, dicta vasa supellectili annumeraverit,
tunc respectu capientium ex testamento facit jus, h. e. ipsi he-
redes debent illa vasa relinquere legatario supellectilis, æquē
ac si aliàs ipso jure ad supellectilem pertinerent: & ita etiam
Nov. 22. c. 2. testatoris voluntas dicitur lex. Aliter ad *d. l. 3.* re-
spondet *Hunnius ad Treutl. vol. 1. disp. 1. th. 2. quest. 9.**

§. 13. IV. Exceptio non numeratæ pecuniæ datur de-
bitori, qui spe futuræ numerationis, certam quantitatem se
accepisse & alteri debere, quam tamen non accepit, syngra-
pho suo confessus est, contra agentem ex chirographo. *t. t. J. de
Liter. Obl.* & quidem hæc exceptio durat per biennium, trans-
fertq; onus probandi solutionem in actorem. An a. elapso
biennio nullo modo se tueri possit reus, quæritur? Nullo mo-
do audiendum esse reum putant *Hunnius ad Treutl. vol. 1. th. 2.
Lit. C. Henricus Nebelera decis. 22. Riemer, decad. 2. quest. Illustr. 6.
Frantzck.*

Dn. D. Frantz k. exerc. 10. q. 10. Dn. D. Thomæ discurs. de non num. pecun. posit. 5. th. 19. seq. Sed adhuc ipsum audiri posse, si in se velit onus probandi recipere, statuunt *Treutl d. l. Perez in Cod. de non numer. pecun. n. 14. 15. Magnificus Dn. D. Ungepaar exerc. 11. q. 6. in aio. Hænon. disp. 15. controu. 15. Schneid. de Liter. Obl. n. 11. Schultz Synops. ibid. lit. A. Dn. D. Tabor part. elem. part. 3. sect. 4 n. 40. Dn. D. Hahn ad Wesembec. n. ult. de Exception. Dn. D. Carpzov. p. 1. const. 32. def. 66. n. 13. Ummius disp. 8. th. 5. n. 35. ubi simul ad contraria respondet.* Nos brevitati studentes distingvimus inter jus strictum, & inter æquitatem. *arg. l. 2. §. 5. fin. ff. de aq. plu. arcend.* Illo casu, prior sententia videtur esse verior. Si æquitatem respicimus, subdistingvimus inter exceptionem non numeratæ pecuniæ, consideratam, ut privilegiatam seu singularem, & inter eam consideratam, ut communem & onerosam. Illa est, ut dictum, quâ ipse actor debet probare solutionem. Posteriori modo consideratâ eadem, putamus, cum post elapsam etiam biennium audiendum esse. *Vid. Magnificus Dn. Præses disp. sub ipsius præsidio habitâ De Except. non num. pec. th. 22.*

§. 14. Illarum, quæ ex personis cum negotio proficiscuntur, I. sit Exceptio Senat. Consult. Velleiani, quâ subvenitur mulieribus pro aliis intercedentibus, & ob intercessionem conventis. *t. r. ad Sctm Velleian.* An autem huic beneficio possint renunciare? Negant *Zanger p. 3. c. 11. n. 153. Berl. p. 2. concl. 19. n. 20.* E contra quòd dicto beneficio renunciare possint, modo sufficienter de eo sint certioratæ, statuunt unanimiter *Schneidw. ad §. ult. n. ult. J. de fidejussor. Schultz vol. 3. notab. 17. p. 86. Magnificus Dn. D. Ungepaar exercit. 15. q. 8. Ummius th. 5. n. 39. Dn. D. Hahn, n. 9. ad Sen. Consult. Vellej.* quorum sententiæ & nos adhæremus, propter *sex. l. pen. C. de pact. l. ult. §. pen. ad Senat. Consult. Vellej.*

§. 15. II. Exceptio Senatus Consult. Macedoniani, quæ datur filiisfam. in potestate patriâ constitutis, contra eos, qui mutuò dederunt iisdem pecuniam. *l. 1. de Scto Maced. Obst.* quod fili-

filiusfam. ex omnibus causis, tanquam paterf. obligetur, & ob id cum eo agi possit, tanquam cum patrefam. l. 39. de O. & A. Resp. dist. inter regulam, & inter exceptionem. d. l. 39. continetur regula, in mutuo a. est exceptio. §. 7. *J. quod cum eo qui in alien. pot. & d. l. 1.* An v. neq; huic possit renunciari à filio? Resp. non potest. *Mozzius de mutuo, quomodo deficiat, n. 19. Zang. p. 3. c. 12. n. pen. Treutl. vol. 2. disp. 26. th. 5. lit. F. ibiq; Hunnius. & vol. 1. disp. 20. th. 7. lit. D. ibiq; Bachov. Mascard. de probat. vol. 2. concl. 695. n. 14. Dn. D. Hahn ad Wesemb. n. 4. de Scto Maced. Quæcunque n. sunt publici juris, illis renunciari non potest. l. 7. §. 16. l. 38. de pact. l. 45. §. 1. de R. 7. At hoc Sctm Macedonianum est publici juris. d. l. 1. b. Erg. Et hoc in tantum verum, ut licet juramentum accesserit, tamen renunciatio non subsistat. d. l. 7. §. 16. verb. nec iusjurandum. de pact. Nov. 51. Quod n. nullum est, juramento confirmari non potest. Dn. D. Hahn n. 5. de Jurejur. Sunt tamen aliquot casus, in quibus huic Scto planè locus non est, quorum VII. recenset Dn. D. Hahn n. 8. b. & Zanger d. l. inter quos est etiam hic, si filiusfamilias studiorum gratiâ absens sit, eique ad necessarios sumtus, quos patris pietas non recusaret, pecunia credita sit. l. 7. §. 13. ibiq; Gothofr. ff. & l. 5. C. ad Sctm Vellei. Schultz Synops. Inst. quod cum eo qui in alien. potest. Lit. E. Schneidw. ibid. n. 4. Rebhan. hodeg. Jur. chart. 2. clim. 4. parall. 3. n. 11.*

§. 16. Huc etiam referri solet III. Exceptio Minorennitatis, quâ se defendunt minores 25. annis, qui negotio aliquo læsi aut decepti sunt. l. 7. fin. ff. de except. *Ummius disp. 8. th. 5. n. 40. Riemer. de except. th. 5. lit. I. Rebhan. d. l. n. 45.*

§. 17. Post negotium contractum sequentes oriuntur exceptiones: I. Jurisjurandi, quæ datur debitori, actore deferente, juranti, se nihil debere. §. 4. *J. b.* Sed cum variæ sint Juramentorum species, quænam producet hanc exceptionem? *Ummius disp. 3. n. 43.* putat, quòd tam judiciale, quàm extrajudiciale eandem producat. Cōtrà *Zanger. p. 3. c. 16. n. 9.* statuit, quòd tantum extrajudiciale, quem & nos sequimur. Et sic non obstat l. 7. & 9.

F

ff. de

ff. de jurejur. ubi dicitur, quod præstito juramento nulla detur amplius actio. Ubi nulla actio, ibi necessum est, obligationem ipso jure esse sublatam. Si ipso jure, non opus erit exceptione. *Rz. Vel cū Zangero d.l.n.10.* dist. inter juramentum judiciale, & extrajudiciale, adeò ut illo præstito ipso jure actio sit sublata, hoc verò non æquè. *Vel cum Bachov. vol.2. disp.26. tb.6. lit. C. & Ummio d.l. quod l. 7. & l.9.* loquantur de veteri more agendi, quo actio cū formulā erat impetranda à prætore, qui interdum dabat actionem, interdum non. Nam reus, vel coram prætore simpliciter fatebatur, rem ita prout ab actore proponeretur, se habere, & tunc non opus erat datione formulæ & Judicis pedanei, sed simpliciter condemnabat. Vel excipiebat, & tunc exceptionem vel actor admittebat, & itidem nulla opus erat ulteriore actione. Vel non admittebat, & tunc dabat prætor actionem cum annexā exceptione. De quo fusiùs videri potest *Bachovius ad Treutl. disp. 29. vol. 2. tb. I.*

§. 18. II. Transactionis, quæ datur ei, qui super causā, transactione jam sopitā, denuò convenitur. *l.16. C. de transact.* Nihil enim tam convenit humanæ fidei, quàm ea, quæ placuerunt, custodiri. *l. 20. C. de transact. l.1. de pact. l.1. de constit. pecun.* Requiritur tamen hic 1. ut eadem res petatur, h. e. eadem quantitas, idem corpus, idem jus, *arg. l. 12. 13. & l. 18. de Except. rei judic. junct. l. 20. C. de transact.* 2. Ut ex eadem causā petatur. *arg. l. 3. 5. de Except. rei judic.* 3. Res agatur inter easdem personas, inter quas transactum est. *l. 5. §. 5. de Nov. oper. nunc. l. 25. §. 2. fin. ad Sctm Trebell. l. 27. §. 4. vers. ante. de pact. t. t. C. Inter alios acta vel judic. Modest. Pistor. vol. 1. consil. 11. n. 8. Zang. p. 3. c. 18.* cui addi potest 4. Si transactio est correspectiva, & unus vult se ex illā juvare, debet docere, se adimplevisse pro parte suā. *Mascard. concl. 1394. n. 3.*

§. 19. III. Exceptio rei judicatæ reo tribuitur, qui iudicio absolutus est. *l. 3. 5. 18. de except. rei jud.* Res enim judicata plenissimum jus tribuit, quod nec Princeps ex potestate plenariā im-

immutare, vel auferre alicui potest. *Carpz. p. 1. const. 26. def. 14.*
n. 2. Ubi tamen iterum hæc tria notanda veniunt, nempe ut 1.
eadem res ab actore petatur. 2. Ex eadem causâ. 3. Ab iisdem
personis. *Wesemb. n. ult. de Except. rei jud. ibique Dn. D. Habn.*
Zanger. p. 3. c. 17. Ummius disp. 8. th. 6. n. 43.

§. 20. IV. Exceptio implementi non secuti, quæ objici-
tur agenti, qui tamen à parte suâ non ex assè satisfecit conven-
tioni. *Mascard. concl. 1394. n. 20. seqq.* Hinc emtori, volenti agere
ad rem tradendam, ante pretii solutionem, rectè opponi pot-
est exceptio pretii non soluti. *l. Julianus. 13. §. 8. de act. emt.*
nisi venditor fidem emtoris fuerit secutus. §. 21. *J. de R. D.* Nec
nō venditori, agenti ad consequendum pretium, ante factam
rei traditionem, rectè opponitur exceptio rei venditæ & non
traditæ. *D. D. Habn n. 6. Parat. Wesemb. de act. empt. Zanger. p. 3. c. 22.*

§. 21. V. Exceptio pacti conventi de non petendo, quâ repel-
litur actor, qui antea cum debitore pactus est, ne à debitore
peteret. §. 3. *Inst. b. t.* Sed hac exceptione itidem non videtur
opus, quoniam debitor ipso jure liberatus esse videtur. §. ult.
I. quib. mod. toll. Obl. l. 58. de pact. R. Contrarium habetur §. 3.
aliud autem obtinet in nudo pacto, quod per contrarium
pactum potest dilui. *d. §. ult. I. ibiq. Bachov. Ummius n. 41.*

§. 22. VI. Huc referimus exceptionem rei litigiosæ, quâ
is, qui rem litigiosam emit, vel quovis modo sibi acquirere in-
tentat, ab ejus persecutione repellitur. *l. ult. C. de litigios.* Jure
enim talium rerum alienatio cum sit interdicta. *l. 5. pr. de he-
red. petit.* etiam sub certâ pœnâ, quæ expressa *d. l. ult.* non poterit
emtor ex actu illicito & legibus contrario lucrum ferre, sed
justè hac exceptione repellitur. *Dn. D. Habn. ad Parat. Wesemb.*
de litigios. Ummius n. 46. D. Riemer. disp. de except. th. 6. lit. b. D. Tho-
mæ discurs. de revocand. & puniend. litigiosi alienatione. posit. 7.
qui fusiùs hancce pertractat materiam. Nobis liceat h. l. esse
brevioribus.

SECTIO V.
DE MODO PROPONENDI
EXCEPTIONES.

§. 1. **P**roductis jam plerisque exceptionibus (omnes enim proferre, cum non tractatum, quod fecere Zangerus, Carolus de Grassis, Paulus Æmylius Gallus, Oldendorpius, Colerus & alii, sed disputationem modò intendimus, nec volumus, neque potuimus) nos ad modum eadem proponendi in iudicio accingamus, benè memores, quòd sicuti arma etiam optima & pulcherrima, nisi iisdem etiam uti possimus, parvi, imò nullius sint usus, ita nuda exceptionum cognitio, ni & iisdem adversarium repellere possimus, parùm imò ferè nihil proffit.

§. 2. Ut autem in brevitate hæcenus solitâ continuemus, paucis, quod dicendum, includamus regulis. I. Exceptiones dilatoriæ ante litem contestatam sunt opponendæ. *l. 12. C. de Exc. Bach. ad §. ult. n. 3. J. de except. Ayres. p. 1. c. 11. obs. 1. n. 3. Zang. p. 2. c. 22. n. 2. Umm. th. 9. n. 56. Wesemb. n. 7. ibiq. D. D. Habn. de except. Carpz. p. 1. const. 3. def. 1. n. 4.* Neq; hoc loco agnoscimus differentiã inter dilatorias concernentes merita causæ, & inter dilatorias Iudicii, quam fecit *Sutbolt. dissert. 19. §. 32. & 36. Bach. in Wesemb. n. 10. de except.* Sed indistinctè cum *Dn. D. Habn* statuimus, Exceptiones omnes dilatorias ante litem contestatam esse opponendas, in tantum, ut, si Advocatus post vellet eas proponere, libræ auri condemnatione multetur. *l. pen. C. h. t.* Prout a. nulla in iure nostro datur regula, quæ non suas patiatur exceptiones. *l. 202. de R. J.* ita idem etiam nostræ accidit, vid. *Socin. reg. 126.* Fallit n. 1. si exceptio dilatoria de novo sit orta. *c. pastoralis. extr. b. r.* quia quæ de novo emergunt, novo indigent auxilio. *l. de etate. 11. §. 8. de interrog. act.* ut si iudex post litem demùm contestatam fiat suspectus. *c. insinuante. de Offic. deleg. 2.* Si ante litem cōtestatam, de iis Exceptionibus reservandis, reus sit protestatus. 3. Si ante litem contestatam quidem nata, verùm post

post litem contestatam demum ad excipientis notitiam pervenerit. *d.c.pastoralis. Joach. Schultz Synops. Jur. Univ. vol. 3. notabil. 17. p. 84. 85. Dn. D. Hahn. ad n. 7. h. t.* qui hujus regulæ VII. Exceptiones proponit, & *Ummius d. disp. 8. th. 9. n. 56.* ubi X. refert. Hoc loco dubia proveniunt duo. I. quisnam iudex cognoscat in recusatione iudicis, cum hæc etiam sit dilatoria? II. Coram quonam hæc exceptio probanda? Resp. Causæ suspitionis coram eo, qui recusatur, allegandæ sunt, eidemq; libellus recusatorius offerendus est. *l. apertissimi. C. de judic. & quidem in scriptis, non etiam vivâ voce. Vallens. n. 8. de Except.* Jure tamen Sax. contrâ nō in scriptis, sed vivâ voce allegandæ esse tradit *Carpz. p. 1. const. 3. d. 11.* Probandæ v. sunt coram arbitris, à partibus ad hoc electis, non coram iudice recusato. *Zanger. p. 2. c. 4. n. 21. Ummius disp. 1. th. 10.* Hi arbitri jam, vel causam recusationis sufficientem esse pronunciant, & res ad aliū, sive delegatum, sive superiorem iudicem devolvitur; Vel minus, & recusatus causæ cognitionem absolvit. *Ummius d. l.* Sed quando reliquæ dilatoriæ exceptiones sunt probandæ? Resp. dist. inter dilatorias iudicii, quæ ante litem contestatam æquè ac opponendæ, ita & probandæ, & inter dilatorias causæ, quæ post litem contestatam possunt probari. *l. 19. C. de probat. Obst.* quod hoc §. distinctionem istam rejecerimus. Resp. Rejicimus, quatenus adhibetur in modo opponendi, retinemus eandem in modo probandi. *Dn. D. Hahn. ad n. 10. h. t.*

§ 3. Peremptorias, quoad modum proponendi, distinguimus in peremptorias in specie sic dictas, & privilegiatas. De illis Reg. II. quod hæ post litem contestatam sint opponendæ. De his Reg. III. Privilegiatæ tam ante, quam post litem contestatam proponi possunt. Vocantur aliàs anomalæ, mixtæ. Tales à *Bachov. d. §. 3.* recensentur: Exceptio Rei judicatæ, transactionis, Jurisjurandi, præscriptionis, quibus plures addunt *Ummius d. th. 9. n. 58. D. Hahn. n. 7. h. t.* Sed quæritur, quando probentur? Dist. inter exceptiones in continenti liquidabiles, & inter exceptiones altiore indagine requirentes. Illæ, quæ



les sunt exceptio rei iudicatæ, & aliæ notoriæ, præcipuè si ante litem contestatam opponantur, etiam ante litem contestatam probari debent. Hæ v. post litem cōtestatam. *Riemer, de Except. tb. 7. lit. C. D. Hahn, d. l.* Quomodo aliàs in continenti fieri accipiatur, nos docet *Coler. ad c. cum venerabilis, n. 72. de Except. & de process. Execut. p. 4. c. 2. sub init. Carpz. p. 1. c. 8. def. 27.* quos brevitas studio allegasse sufficiat, ne pagellæ nostræ nimium excrescant.

§. 4. An ergo post latam sententiam etiam exceptiones opponi possint? Resp. quòd non, per *l. 2. verb. antequam sententia feratur. C. sentent. rescind. non posse.* 2. quia per sententiam finis imponitur liti. *l. 1. de re iudic.* Lites a. legitimè finitas, non licet resuscitare. *l. 16. junct. l. 20. C. de transact.* 3. quia res iudicata pro veritate habetur. *l. 25. de stat. hom. l. 207. de R. J.* hinc & post sententiam latam, non ampliùs quæritur, an reus debeat, sed hoc tantum, an iudicatum fuerit. *l. 56. de re iudic.* Limitatur tamen 1. propter qualitatem sententiæ, si ea nulla sit, vel etiam per restitutionem in integrum possit retractari. *Ummius d. l. n. 59.* 2. propter privilegium concessum, vel personæ, ut militi. *l. 1. C. de Jur. & fact. ignor.* vel favori & conditioni causæ. *l. 11. ad Scdm. Maced. Bachov. ad Wesemb. n. 10. verb. post Conclus. & c. b. t. 3.* propter qualitatem ipsarum exceptionum, quales sunt omnes, paratam executionem impediētes. *Dn. D. Hahn, ad cit. loc.* quæ a. sint tales, legi poterunt apud *Zanger. p. 3. c. 26. n. 61. seqq. Berl. concl. 82. p. 1.* qui recenset LV. exceptiones, quæ paratæ executioni opponi possunt.

SECTIO VI. DE FINE ET EFFECTU.

Vltimum quod restat, est finis & effectus, cujus quidem hinc inde fecimus mentionem, tamen cum specialem eidem supra constituerimus sectionem, nos paucis & hic expediamus, & ad finem maturemus.

§. 2. Re-

§. 2. Repetenda a. est exceptionum divisio, quâ aliæ fuere dilatoriae, aliæ peremptoriae. Illarum effectus est, quod iudicium vel differant, vel transferant; ut si reus liberetur ab instantiâ & observatione iudicii. Harum, quod in totum excludant & perimant, adeoque reus planè liberetur ab actione institutâ. *Coler. ad c. cum venerabilis. de except. n. ult.* Ubi obiter saltem attingenda differentia inter *to absolvi* ab instantiâ, & *absolvi* ab actione institutâ. Illud fit, quando reus à processu minùs ritè formato absolvitur, ut propter ineptitudinem libelli aliasvè dilatorias exceptiones, & tunc ipsa actio non perimitur. Hoc omnem perimit actionem, nec potest denuò actor, adversus absolutum ab actione, validè experiri. *Dn. D. Carpzov p. 1 const. 3. d. 16. n. 3. seq. Frideric. process. judic. p. 42.*

§. 3. Verùm hic tria nobis dubia veniunt diluenda. I. An qui excipit, litem contestetur? Ad quod itidem sine citatâ distinctione responderi nequit. Si exceptiones sunt *dilatoriae*, erunt vel de processu, vel de meritis causæ. Per illarum oppositionem lis non, *l. 2. §. ult. de except. benè tamè per has contestatur.* Exemplo res fiet clarior, *arg. §. ult. de gradib. cogn.* ponamus actorè intendere, Titium (qui forsitan studiosus, & conventus coram Magistratu oppidano) sibi debere centum. Titius rectè opponit declinatoriâ fori: quæritur, an tunc litem contestetur? Resp. quòd non. Est n. hæc tantùm exceptio dilatoria de processu. Sed ponamus Titium conveniri coram iudice competente: Comparens a. opponit exceptionem pacti conventi, vel de non petendo intra certum tempus; quæritur, an tunc litem cōtestetur? Resp. quòd sic. Fatetur n. se debere, & sic obligationis diem cessisse, sed nondum venisse. *l. 213. de V. S.* Nec hisce *obstat*, quod suprâ diximus, exceptiones dilatorias ante litem contestatam esse proponendas. Jam posset quis dicere, si ante litem contestatam; sequitur, quod easdem opponens non possit dici litem contestari. Antecedens n. & consequens debent esse contradistincta. Resp. *Antecedere* h. l. non debet ita strictè accipi, sed quodammodo latiùs, ut non excludat litis contestationè, sed potiùs includat. Ita n. hæc phrasip etiam accipitur *in pr. §. de nupt. teste Nobiliss. Dn. D. Hahn ad Wesemb. n. 3. de nupr. p. 140.* In nuptiis n. sufficit, patris consensum concurrere. *l. 5. C. eod.* & tamen dicitur *in princ. d.* quòd debeat præcedere. Ita pari ratione, licet dixerimus, quòd exceptiones dilatoriae præcedere debeant, non tamen negamus, quòd insimul concurrat litis contestatio. Vid. *Ummius disp. 12. eb. 4. n. 15.*

Si

Si a. exceptiones fuerint *peremptoria*, litem contestari indistinctè, statuimus. Semper enim actoris intentio, si non expressè, tamen tacitè infringitur per earundem objectionem. *Wesemb. Parat. de except. m. ii. Dn. D. Forman diss. de litis contestat. th. 51 & 52. Dn. D. Riemer. d. l. th. 10. n. 3. 4.* ut si Titius in casu proposito exciperet de solutione factà, non dubium est, quin litem contestetur.

§. 4. II Quod ferè ex priore dependet; An qui excipit, litem contestetur affirmativè, vel quod idem actoris intentionem fateri videatur? Resp. quod non, per *l. 9. de except. c. 63. de R. J. in 6. ibiq; Dynus.* Sed potius negativè, idq; tam in exceptionibus, quæ à parte rei sunt negativæ, ut est exceptio non numeratæ pecuniæ, dotis & c. quàm quæ sunt affirmativæ, vel quæ ex parte rei aliquid ponunt, ut solutionis & c. de quibus *Magnif. Dn. D. Frantzk li. 2. resolut. 18. n. 5. 6.* contradicentibus satisfaciens legi potest.

§. 5. III. An iudex ex officio exceptiones, à reo non allegatas, competentes tamè possit supplere? Resp. quòd non, *arg. l. cives C. de appellat. Cum etiam notoriæ maximè sint allegandæ. Wesemb. Parat. ff. n. 9. & Cod. n. 8. de Except. Ummius diss. 8. th. 9. n. 55. Nec obst. rubr. & l. un. C. ut quæ desunt Advocat. part. iudex suppleat.* S quidem ipsam non loqui universaliter de omni supplemento, facilè patet. Sequeretur n. aliàs, quòd parti elapsum decendium & appellationi destinatum non noceret, *auth. hodie. C. de Appellat. ibiq; Gothofr c. quod ad. 15. de re judic.* Itaq; distinguimus inter ea, quæ sunt *juris*, & quæ sunt *facti*. Illa sunt, si e. g. Advocatus omiserit, quæ maximè facerent ad causam fundandam, si legem pro se facientem non adduxerit. Et hæc supplere potest iudex, nec non secundum omissem legem judicare. Ea v. quæ sunt *facti*; supplere iudex non potest, ne simul patrocinari & judicare videatur, contra *l. 6. pr. C. de postuland. Perez. in Cod. tit. Ut quæ desunt Advocat n. 1.* Et ad hancce classèm etiam pertinet Exceptionum oppositio. Nobiscum consentiunt *Wesemb. d. l. Treutl. vol. 2. diss. 26. th. 7 lit. c. ibiq; Bachov.* Limitatur tamen, nisi ex actis exceptio competens compareat. Acta n. faciunt notorium. Nec *Obst.* jam dictum, quòd exceptio etiam notoria sit alleganda. Resp. duplex est notorium, *aliud simplex & extrajudiciale, aliud judiciale.* De illo antea sumus locuti, de hoc jam. *Bachov. d. l. Zanger. p. 2. c. ult. n. 15.*

§. 6. Et sic, cum juxta methodum supra traditam de omnibus nobis propositis egrimus, læti & ovantes navem ad portum appellimus exoptatum.

F I N I S.

00 A 6376

ULB Halle
002 916 72X

3




Sb.

107
1017







Farbkarte #13

B.I.G.

IO JURIDICA

DE

IONIBUS,

am,

nte Clementia

ca Facultatis Juridicae,

ri Salana,

RÆSIDIO

R I

ni atque Consultissimi

OPHORI PHI-

ti Celeberrimi, Com. Pal.

lebratissimi, Consilarii Saxonici

is & Scabinatus Assessoris dignis-

e Senioris Spectatissimi,

Hospitis & Promo-

devenerandi,

isquisitioni submittit

Schöpffer Sanders-

haltinus,

tor,

Januarii



N Æ,

LIS KREBSL.

DC LVII.

